

A S H S H



571

AB
71B ³/_{4,6}



Constat 9 gl.



Q. o. 37. b.

SENTENTIAE SALOMONIS,
IVXTA HEBRAICAM
VERITATEM SVMMA
cura redditæ.

AVTORE PHILIPPO MELANCHTHONE.



IMPRESSVM MVLHVSII DV-
ringorum in officina Typographica
Georgij Hantzsch, Anno
M. D. LXIX.

LIBER AD LECTO
REM IACOBVS MICYLLVS.

NON minium spirouē crocū, nō pumice rasus
Candida de ueterum cornua more gero.
Mendaces siquidem decet ista superbia libros,
Seq; peregrina uendere mundicie.
Nudus ego superas uolui prodire sub oras,
Dum modo sim uerus, sat puto cultus ero.
Non ausos recito coelum spirare Gigantes,
Nec Iouis in turpi fingor adulterio.
Quid faciat castos mores, quid pectora sana,
Quo ueniat digne uita gerenda modo.
Hæc ego, suscepi Lector studiose docenda,
Hic scopus, hæc nostri summa laboris erit.
Hæc quondam ut posset regina audire Sabæa,
Venit ab austrino fœmina uecta polo.
Tantus erat uirtutis honos, ea gloria recti,
Inunc & croceis uendere muneribus.

ILLVSTRIS

SIMO SAXONIAE
PRINCIPI, D. IOHANNI

FRIDERICO, ETC. PHI-
lippus Melanchthon,

S. D.



VM uiderem in tanta
librariorum licentia fu-
turum, ut scholia nostra
in sententias Salomonis
dictata, publicarentur :
res postulabat, ut erratis
quae sunt in eo cōmenta-
riolo non parum multa,
aliqua ex parte mederer. Neq; enim fieri potuit,
quin in tam obscuris ac breuibus apophthegmatis
multa interpretem fallerent praesertim $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\varsigma$
 $\pi\epsilon\iota\sigma\omicron\upsilon$. Et recognoscere commentarium non sine-
bant librarij, qui prius uidebantur edituri, quam
nobis uel relegere uacasset. Nihilo felicius & antea
editisunt aliquot commentarij mei, primum ante-
quam maturuissent, deinde mutili, & plerisq; lo-
eis opificum incuria adeo deprauati, ut non agnos-
cam. Atq; meo sane iudicio inter huius seculi in-
numera mala, non postremum habet locum, Typo-
graphorum improbitas dicam, an impudentia, qui
cum citra delectum culant edantque omnia, unde
A 2 lucri

PRAEFATIO

lucris spes est, Deum immortalem, quantum incommodant rebus humanis.

Nam fere pessimos quosque libellos, quia plurimos habent emtores, orbi obtrudunt, quibus cum labefiat alicubi religio, opprimantur honestae artes atque literae, sauiatur in bonos viros, publica tranquillitas perturbetur, quid fingi potest perniciosius? Sed ualeant illi ut merentur. Equidem putavi fidei meae referre, ut lecturis Salomonem, accuratius consulerem, posteaquam id utcumque uideor illius opusculi titulo pollicitus. Proinde Salomonem ipsum de integro ita Latine reddidimus, ut intelligi possit id, quod in ueteri interpretatione desiderabatur. Feci autem hoc eo libentius, quod mereri libellus uidebatur, ut penitus illum cognoscerent ac ediscerent pueri. Nam et de pietate sanctissimas opiniones teneris pectoribus instillat, et de communibus moribus mire ciuiler praecipit. Iam et ipsum authorem circumferri malui quam meum commentariolum. Praestat enim et ad conscientiam confirmandam, et ad formandum iudicium, cum Prophetis ipsis tanquam domi colloqui, quam ex commentarijs sapere qui fere Prophetarum sententias pro cui ostendunt, si tamen ostendunt. Et ut in interprete nihil possis reprehendere, tamen et hic iuxta prouerbium: Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae. Itaque iam pro enarratione nostra, autorem exhibeo ipsum, ne nos Χαλνεια Χρυσείων commutemus. Integrum enim opus
Salomonis

PHILIP. MELANCH.

Salomonis pro mutilo commentario, elaboratū pro
extemporaneis annotationibus, deniq; Prophetias
pro homunculi sententijs reponimus.

Porro ut obiter hoc etiam admoneam, in uerten-
do hoc seruauimus, ut in ijs locis, qui de fide aut ti-
more præcipiunt, & ad muniendam conscientiam
pertinent non modo sententias fideliter representa-
remus, sed uerba etiam fere annumeraremus. In ciui-
libus sententijs, sunt enim non parum multæ politi-
cæ, fuimus liberiores, nec ubi Lectorem obscuritas
moraretur. Quid enim attinet interpretari, si intel-
ligi nolis? Nec moror iudicia eorum, qui Iudaicam
quandam superstitionem in uertendo requirunt, qui
cū liberalibus & elegantioribus disciplinis non sunt
perpoliti, ne quidem possunt de ullo genere orationis
recte iudicare. Hoc ergo quicquid est operis Illu-
strissime princeps, tibi dedicare uolui, & ut studium
tibi meum probarem, & ut adhortarer te ad pieta-
tem interprete καὶ πρὸς ἑνὸν Salomone.

Par est autem hunc regem audire de officijs om-
nibus uitæ præcipientem, quem constat primum sa-
pientia præstitisse regibus omnibus omniū ætatum
ac gentium, deinde nihil docere, nisi uerbum Dei.
Apud Homerum Agamemnon optat sibi decem
συμφραδ' μοῦνας Nestoris similes contingere, nam
huius prudentiam in primis suspiciebat. Quanto
melius autem tecum agitur, Cum Salomonis consue-
tudine frui licet, & cū tali symphradmone de rebus

PRÆFATIO

omnibus publicis ac priuatis consultari ac commen-
tari, qui multis modis Homericum senem uincit. Pro-
inde si feliciter cupis imperium gerere, tales admitte-
uitæ magistros, & toto pectore religionem cole. Sic
enim & diuinitus præceptum est, ut librum legis
habeant in manibus Principes, & ex eo se compa-
rent. Falleris si humana industria, aut uiribus, defen-
di posse imperij possessionem, censes. Frustra cona-
beris omnia, nisi pietate Deum deuinxeris, qui con-
silia tua fortunet. Id subinde inculcat in his senten-
tys Salomon, & testantur minime obscuris exem-
plis historiæ. Simul autem cum religione rem litera-
riam tibi commendo, ut honestarum artium ac disci-
plinarum patrocinium suscipias, quæ hac turbulen-
ta tempestate naufragium facturæ uidentur, nisi à bo-
nis Principibus summa ope defensæ fuerint. Nihil
autem magis regium susceperis, quam hanc provin-
ciam propugnandarum literarum, quæ cum religio-
ni ornamento sunt, tum publicarum legum, & ciui-
lis disciplinæ, & humanitatis scientiam continent.
Quod uulnus iterum accipiet religio, ubi linguarum
studium frigere cœperit, cum intelligi diuini spiri-
tus uoluntas, nisi ex Prophetico sermone non possit,
& de sermone haud uere iudicare queant hi, qui no-
stris literis non sunt exulti. Iam civilem disciplinam
necesse est conuelli, nisi ijs artibus, quæ de uitæ offi-
cij & communibus moribus præcipiunt, ad uirtu-
tem iuuentutis animi inuitentur ac instituantur.

Nemo

PHILIP. MELANCH.

Nemo Respublicas, siue religionem spectes, siue ciuiles mores, grauius laeserit, quam qui à studio liberalium artium iuuentutem retrahit. Est enim omnino uis earum opinione uulgi maior. Quare aduersus praua iudicia imperitæ multitudinis, aduersus importunitatem indoctæ turbæ, aduersus uim atq; iniuriam à uestro ordine opem implorant, ad uos tanquam in portum quendam & persugium se conferunt,

Quid fuerit autem crudelius, quam barbaro furore uulgi, innocentes, imo optime merentes de rebus humanis, perdere, ac perpeti ut opprimantur, ac deleantur. In fabulis est, Mydæ Phrygum Regi, quod de Musica non satis prudenter iudicasset, ab Apolline asininas aures additas esse. Quantū autem bone Deus, in illo procerum uulgo, Mydarum hodie habemus, qui non modo literas nullas norunt, sed contemnunt etiam, & nugas esse sentiunt, quas collusitantes in scholis ociosi homines commenti sint.

O perniciosum errorem. Nam si literas rebus humanis exemeris, exulare una uirtutes omnes ac pacis artes continget. Quanto de se prædicant ipsæ Musæ apud Hesiodum rectius, cum affirmant se de grauißimis rebus agere, & uera bona mortalibus ostendere. Sic enim aiunt, Ἰδμεν δ' εὖτ' ἐθελομεν ἢ ἀλθεῖα μηδὲν ἔσθαι. Itaque te publica utilitas commoueat, & tuarum gentium salus, quæ incolumis esse non potest extinctis literis, ut eas



PRAEFATIO.

aduersus improborum temeritatem fortiter defendas. Cum enim diuino beneficio nuper reflorescere coeperunt, ne agnoscere quidem Dei liberalitatem uideberis, nisi caeleste munus religiose conseruare contendas, & cum hoc conatu imprimis delectatur Christus, tum non alio officio uberius de tuis gentibus mereri poteris. Neq; uero usquam felicius collocari beneficium putes, quam in has, cumulate enim benemerito gratiam reddunt. Nam cum alumnae sint omnium uirtutum, caue putes in eas ingratitude cadere posse. Quare Salomonem nostrum ita excipies, ut sentias te monitorem & doctorem religionis & aliarum uirtutum domum admittere, simulq; committi tibi honestarum artium ac literarum patrocinium. Id si susceperis, tum demum uere Principem ages. Quod si hoc munus Princeps abdicarit, caetera nihilo uerius, quam scenicus ornatus regem efficiunt. Habes autem & domestica exempla, quae te ad res pulcerrimas accendere ac inflammare possunt, quae imitari, ac sequi, pars quaedam pietatis est, & tyrocinium tuum, ac imperij rudimenta spera nobis faciunt, fore te honestis studijs praesidio, ac Reipublicae salutarem.

Vale feliciter.

PROLO

PROLOGVS.

SENTENTIAE in omnibus linguis, sunt
aut praecepta breuia de moribus, aut admonitio-
nes de communibus uitae casibus, de breuitate uitae,
de uarietate fortunae, de perfidia hominum, quales
exitus habeant recte facta, aut secus facta, quae ta-
men ipsae sententiae praecepta dici possunt. Sunt enim
traditae a sapientissimis hominibus, & consuetudine
comprobatae tacite praecipunt, quomodo governa-
re casus illi uitae debeant, quorum mentionem faci-
unt. Possunt itaque in unaquaque lingua receptae a po-
pulo sententiae in locos communes uirtutum, aut cog-
natos illis, tanquam in classes distribui. Ut ad bene-
ficentiam pertinet, Beneficium accepit, qui digno
dedit. Ad amicitiam, Amicus certus in re incerta
cernitur. Ad fortunam, Fortuna quem nimium fouet
stultum facit. Ad experientiam seu prudentiam, Di-
scipulus est prioris posterior dies. Sic etiam hae sen-
tentiae Salomonis, uel in locos communes, uel in de-
calogum distribui possunt, quoniam Decalogus fons
est omnium praceptorum.

Principio autem monendi sunt lectores, interesse
inter prophanas sententias, & has, quae continentur
in sacris literis, quia prophanas sententiae, cum pepe-
rerit eas humana ratio, tantum in ciuilibus moribus,
aut de eiusmodi casibus, quos experientia ostendit,
praecipunt. Potest enim ratio de ciuilibus moribus

A S recte

PROLOGVS.

recte iudicare ex legibus naturæ, ex quibus, quia diuinitus animis hominum inscriptæ sunt, omnia honesta præcepta colligit. Multa enim experientia didicit, ut, Raros esse fidos amicos: Non esse diuturnam improborum felicitatem: Paucos in rebus secundis moderatos esse. Itaque de moribus, & de talibus uitæ casibus, extant doctorum hominum præcepta & sententiæ, in omnibus pene scriptoribus. Multi etiam nihil nisi sententias scripserunt, quoniam putabant ad mores formandos nihil utilius esse, quam huiusmodi breuia oracula semper ob oculos posita habere, ut Hesiodus, Theognis, Phocylides. Sed sententiæ in sacris literis, non tantum præcipiunt de civili consuetudine uitæ, sed etiam de uoluntate Dei, de timore Dei, de Fide, de Cruce, de his locis, quoniam iudicare ratio non potest, aut nullæ, aut falsæ sententiæ in humanis literis inueniuntur. Nam ut alia omittam de cruce longe fallitur ratio, neque enim certo Dei consilio affligi homines arbitratur, sed aduersa temere accidere bonis & malis. Illud uero multo minus sentit, calamitates nobis utiles esse, & eos quos Deus affligit, imprimis ab eo diligi. Sed sacre literæ docent primùm affligi homines certo Dei consilio, sicut Paulus ait: Dum iudicamur à Domino corripimur, non ait temere id accidere. Et Christus negat passeres mori, sine uoluntate Patris.

Deinde docent nos affligi, ut uocemur ad poenitentiam, quemadmodum ait Dauid: Bonum mihi quod humiliasti

PROLOGVS.

Humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Et Paulus: Cum iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Itaq; in hoc libello Salomonis sunt multæ Propheticæ sententiæ, de timore Dei, de fide, de cruce, de promissionibus, de cõminationibus diuinis. Has sententias imprimis oportet obseruare, quoniam in prophanis literis nullæ sunt earum similes. Deinde etiam ciuiliū morum præcepta, non omnino eodem modo tradunt prophane literæ & Propheticæ. Nam Propheticæ literæ addunt plerunq; aut promissionem, aut comminationem, præcepto. Ratio ipsa docet, parentes esse colendos, sed Deus addidit promissionem: Si uis esse longæuus super terram. Hanc promissionem ratio non uidet, nec statuit à Deo puniri ingratos. Ratio indicat turpe esse mendacium, sacra literæ addunt à Deo puniri. Sic enim ait Salomon: abominatio coram Deo, labia mentientium. Ratio sentit magistratibus obœdiendum esse, & pœnas publicarum legum metuendas, sed addunt sacra literæ, Deum ulcisci contumeliam Magistratuum, etiamsi magistratus ipse ulcisci nequeat. Sic enim ait Paulus, Qui magistratui resistit, iudicium acquirit. Similes sententiæ sunt aliquot in Salomone. Ita simul nos docent sacra literæ ciuiles mores & timorem Dei & fidem. Prophani scriptores tradunt tantum præcepta morum ciuiliū, nec attingunt doctrinam timoris & fidei.

SENTEN

PROVERBIA
SENTENTIAE SALOMONIS.

Titulus operi additus est, cum propositione cohærens.

Propositio autem submonet quæ sit vis, quis usus verbi Dei.

CAPVT I.

SALOMON Davidis filius, Rex Israelitarum, sententias conscripsit, unde discantur, sapientia, castigatio, intelligentia, prudentia, iusticia, ius & rectum, unde & calliditatem imperiti, & pueri scientiam & consilia petant.

Sapientes ubi audierint, promouebunt, & cordati industriam consequentur, ut intelligant sententias, interpretationem sapientum, consilia & exempla.

Κεφάλαιον operis, Humana sapientia docet fidere nobisipsis. Hic docetur timor Dei.

Timor Dei scientiæ initium est.

Contra, sapientiam & eruditionem stulti aspersionantur.

Audi fili paternam castigationem, & matris tuæ legem ne negligas. Nam ea demum capiti tuo pulcra

SALOMONIS.

pulcerrima bulla fuerit, & collo torques.

Damnatur sollicitudo de victu, quæ fe-
re impellit ad rem quoquo modo faciendam.
Ibi multis exempla diuitum imponunt, &
splendor.

Fili si te inuitauerint peccatores, ne obsequa-
ris. Si dixerint nobiscum ambules, insidiamur san-
guini, abdamus nos, ut innocentibus exitium machi-
nemur, & quemadmodum inferi uiuos absorbeamus
probos, tanquam ruentes in uoraginem. Magnas
opes reperiemus, ædes nostras spolijs locupletabi-
mus, sortem tuam inter nos deijce, & commune sit
omnium marsupium. Mi fili, ne ambules cum eis, ar-
ceto pedem tuum ab illorum uia. Nam pedes eorum
ad exitium properant. Frustra tenduntur retia uo-
lucris ob oculos, & isti sibi mutuo insidiatur, nec
uita eis inter ipsos in tuto est. Hic auari mos est,
ne uitæ quidem alterius parcat.

Frustra tenduntur) *πρὸς μὲν* dixit,
frustra illos conari, quasi dicat, arenæ semi-
na mandant, aut, Non profecturis littora
bobus arant. Nisi enim retia tegantur, &
arte alliciantur aues, nihil egeris. Significat
igitur frustra esse conatus impiorum, Deus
enim non aspirat.

QVERIMONIA, quemadmodum
vbique dolent Prophetæ contemni verbum
Dei.

PROVERBIA

Sapientia foris clamitat, in plateis uocem edit,
multitudini præit, pro portis clamitat, & in urbe
concionatur.

QUERELA.

Quousq; tandem imperiti amabitis imperitiam,
& subsannatores sannis delectamini, & fatui scientiam
odistis? Aduertite animum ad increpationem
meam. Ecce spiritum meum uobis efflabo, sententiam
meam exponam. Cum uoco uos, recusatis, cum
porrigo manum, nemo aduortit animum. Omnia
consilia mea negligitis, & increpationem fastiditis.
Postea & ego in calamitate uestra ridebo uos, cum
subita mala nihil tale metuentes, perterrebunt. Tum
uocabunt me, ego uero non exaudiam, quærent non
inuenturi. Nam oderunt scientiam, & timorem Do-
mini non elegerunt. Fastidierunt consilia mea, &
increpationes calumniati sunt. Itaq; fructus edent
operum suorum, & consilijs suis saturabuntur. Nam
imperitis exitio sunt illecebræ, quibus parum cauti
capi solent, & fatuos secundæ res impiorum per-
dunt. Quisquis me audierit, securus erit in tran-
quillo.

CAPVT II.

ADHORTATIO.

Vnde fit sapientia, & quomodo fit
comparanda.

Fili

SALOMONIS.

FILI, si acceperis uerba mea, & mandata mea apud animum reposueris, ut auscultes sapientiae, accommoda cor, ut probe intelligas. Nam si postulaueris intelligentiam, eamq; accersieris, si uelut argentum quaesieris, & inuestigaueris tanquam thesauros, intelliges timorem Domini, & Deum agnosces.

Consilia & successus à Deo.

Deus enim ex ore suo sapientiam & scientiam, & intelligentiam largitur. Rectis dat successum, protegit probos, ius tuetur, & iter sanctorum suorum custodit. Ita demum intelliges iusticiam, ius, recta, & bonas uias omnes.

Si sapientiae studium te tangit, & scientia placet tibi, consilium seruabit te, & intelligentia custodiet te, eripietq; à mala uia, & à uiro peruersa loquente, & ab ijs, qui rectam uiam relinquunt, & in tenebris ambulant, qui scelere & peruersitate gaudent, quorum peruersa uia sunt, quos ipsorum uia arguit, desertores esse.

Eripiet item sapientia te à muliere aliena, quae se blanditijs uenditat, & relicto pristino marito, pacti diuini obliuiscitur. Nam ruinam minatur domus eius, & uia eius ad interitum ducit. Quotquot ad eam accedunt, pereunt. Propterea uiam bonam insisto, & uiam iustorum obserua. Recti in terra perdurant, & probi in ea superstites erunt. Impij è terra extirpabuntur, & funditus delebuntur, quot quot contemnunt Deum.

In scor-

PROVERBIA

In scortationem accerrime inuehitur,
docetque caueri non posse, nisi muniamur
verbo Dei.

CAPVT III.

Παράνεσις.

Verbum affert vitam. Deut. 8. Item 30.

FILI, ne capiat te obliuio legis meae, & prae-
cepta mea insige cordi tuo, prorogabunt enim
uitam tibi, & pacem felicitatemq; afferent, miseri-
cordia & ueritas non deserent te.

Suspende haec à collo tuo, inscribe tabellis cor-
dis. Inuenies enim gratiam, & felicem prudentiam
coram Deo & hominibus.

Δεκαλόγος Ἰζηήγησις.

PRIMUM.

Fide Deo toto corde.

Et prudentiae tuae ne innitare.

II.

Quacunq; ingredieris, agnosce eum,
Ita fiet, ut ipse regat gressus tuos.

III.

Non confidas sapientiae tuae.

Time Deum & recede à malo : Id. umbilico
tuo salubre est, & rigat corpus

IIII.

SALOMONIS.

IIII.

Honorem habe Deo de substantia tua & de primitijs omnium prouentuum tuorum. Ita fiet, ut horrea tua impleantur ad satietatem usq; , & torcularia tua musto exundent.

Agnosce esse Dei dona quæ proueniunt, nam id significatum est ritu offerendarum primitiarum. Deut. 26.

V.

Commen datio crucis.

Castigationem Dei ne repudies, & ne stomacheris cum corripuerit te. Quem enim diligit Deus hunc castigat, eoq; uelut pater filio delectatur.

Exclamatio. q. d. paucos esse, qui sentiant crucem utilem esse. Proinde uocat beatos, qui ita sentiant. Vitam autem in ipsa certiam cruce promittit.

Beatus est, qui sapientiam inuenit, & qui consequitur intelligentiam. Melior est enim fructus eius quam argenti, & auro prouentus eius uberiores sunt, præstat gemmis, & preciosa omnia uincit, uitæ prorogatio est ad dexteram eius, & ad sinistram diuitiæ & gloria, uita eius amabilis est & felix. Hæc lignum uitæ est, cuiusq; contigerit, & beatus est, quisquis eam nactus fuerit. Deus sapientia fundauit terram, & condidit cœlū intelligentia, & scientia eius abyssi deriuantur, & nubes rorem pluūt.

Fili, huc defige oculos, ne successum & consti-

B

lium

PROVERBIA

lium amittas. Hæc uitam animæ suppeditant, & ori gratiam. Securus ambulabis in uia, nec pes impinget. Cum dormies, non terreberis. Quoties ieris cubitum, suauiter dormies, nec metues subita mala, & impiorum tumultum. Deus enim tuebitur te, & custodiet pedem tuum, ne capiaris.

VI.

Præcepta charitatis

Ne recusa benefacere alijs, si à Deo suppetit tibi, unde largiri possis.

VII.

Ne dic proximo tuo, abi, redi, cras dabitur, cum modo possis gratificari.

Id est, bis dat, qui cito dat.

VIII.

Ne machinare proximo malum, quia abs te nihil metuit.

IX.

Ne litiga frustra cum homine, qui te non læsit.

X.

Ne æmulare hominem iniustum, nec elige uiam eius. (Psalm. 36.) Quia abominatur Deus desertorem, & familiariter uersatur cum rectis.

XI.

Domui impij maledicit Deus, sed habitaculum iustorum benedicetur.

Subsannatores subsannat, Et humilium miseretur.

Here

SALOMONIS.

Hæreditas sapientum gloria est, at exaltatio facti ignominia est.

CAPVT IIII.

Rursus instituit adhortationem, subinde idem inculcās, & suo more rhetoricatur.

Avdite filij paternam castigationem, & adijcite animum ad cognoscendum intelligentiam. Doctrinam enim bonam uobis propono, legem meam ne relinquite. Fui & ego patris mei filius, & inter filios matris tenerrimus, & unicus, docuit me, & dixit:

Si doctrinam meam amplexus fueris, & præcepta mea custodieris, uiues. Compara sapientiam, compara intelligentiam. Ne obliuiscere, ne discede à sermone meo, seruabit te, si non deserueris, custodiet te si dilexeris.

Præ omnibus fructibus sapientum compara sapientiam, & præter facultates tuas intelligentiam posside, quod si eam magnificeris, te uicissim exaltabit. Si fueris eam amplexus, uicissim te glorificabit, ornabit & coronabit.

Mundus, fructus sapientiæ, vitam, successum, &c. amat, sapientiam non item.

Audi fili, & sermonem meum accipe, ut prorogetur tibi uita. In semitam sapientiæ, & in rectam

PROVERBIA.

uiam deducam te, ubi iter faciens non angeris, nec
rues cum curreis.

Perdura in castigatione, ne defatigeris observa
eam, uitam enim affert tibi. In semita impiorum ne
uersare, nec incede in uia malorum, sed deuita eam,
nec per eam transeas, deflecte ab ea, & præteri.
Neq; enim dormire possunt, nisi malum aliquod fa-
cinus perpetrarint. Nec capiunt somnum, nisi rui-
nam fecerint. Victitant enim pane impie quæsito,
& uinum bibunt iniuste partum. Via iustorum sicut
lux inclarescit, quæ subinde fit illustrior ad medium
usq; diem. Via impiorum ceu caligo est, nesciunt
ubi ruant.

Præcepta de sermone, oculis & incessu.

Fili aduerte animum ad sermonem meum, ad ser-
monem meum inclina aures tuas, in hunc defige ocu-
los, asserua in corde tuo, uitam enim affert is, qui
inueniunt eum, & est salubris omnibus. Summa cu-
ra custodi cor tuum, inde enim uita egreditur.

O S) Depone peruersos sermones, & blasphema
labra remoue abs te.

O C V L I) Ne passim uagentur oculi, sed recta
te præcurrant.

I N C E S S V S) Recta incede, & uiae tue re-
cte sint.

Nec declina ad dextram aut sinistram, deflecte à
malo.

CAPVT

SALOMONIS.
CAPVT V.

FILI, animaduerte sapientiam meam, aures accommoda prudentiæ, ut obserues consilia, & custodias scientiam.

Stillans fauus est scorti os, & mollius est quam oleum collum eius. Verum postrema amara sunt uelut absynthium, & acuta ceu gladius, pedes eius ad mortem descendunt, & ad inferos properant gressus eius. Non recte incedit in uitæ semita, uagi sunt gressus eius, quos nec ipsa agnoscit.

Proinde fili, ausculta mihi, nec à sermone meo discede, uiam eius procul fugito, nec accede ad fores ædium.

DE PRODIGALITATE.

Ne des alijs facultates tuas, & annuos prouentus tuos ne effundas in crudeles, ne opibus tuis alieni ditescant, & pecunia tua in alienas ædes transferatur. Tandem enim gemes, ubi uictum tuum consumseris, ac dices: Cur odi castigationem, & increpationem subsannaui, nec magistris auscultaui, nec aures præbui ijs, qui meliora docebant, pene obruerunt me omnia mala, cum in conciliabulis hominum uersarer.

Prodigalitas etiam verbo Dei damnata.

Crudeles) Crudeles vocat, qui simulant amicitiam commodi gratia.

DE VSV RERVM
propriarum.

B 3

Bibe

PROVERBIA

Bibe aquam e' tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe. Fontes tui foras deriuentur, & riui promanent in plateas. At tu Dominus esto horum solus, non alieni tecum, Benedicentur enim fontes tui.

Ita administres rem familiarem, vt & conserues, & communices, vt ad Ephes. Paulus docet.

DE CONIUGIO.

Exhilaret te uxor, quam adolescens ducis ceu iucunda cerua, & uenustus hinnulus illius te amor perpetuo exaturet, & amore eius semper frueri.

DE SCORTATIONE.

Cur seduceris fili mi a scorto, & alienam amplecteris mulierem? Non procul oculis Dei sunt uiae hominum, is omnes eorum semitas considerat. Sua ipsius improbitate impius capitur, & suis laqueis irretitur, Morietur cum non sit castigatus, eritq; ei exitio ingens stultitia.

CAPVT VI.

FILI, si pro altero sponderis, obstrinxisti fidem tuam, irretitus es tuis uerbis, captus tuo sermone. Proinde fac ut expedias te, posteaquam in manum proximi incidisti, uade, curre, insta proximo tuo, ne concedas somnum oculis, neue obdormiant palpebrae. Euade uelut e' manibus uenatoris caprea solet, aut auicula e' manibus aucupis.

Sponde

SALOMONIS.

Sponde, noxa præsto est. Iubet autem
tum diffidere, tum res proprias conseruare,
iuxta regulam. 2. Corinth. 8.

DE LABORE.

Abi piger ad formicam, cuius contemplare mo-
rem ut sapiens fias. Illa tametsi nec principem, nec
præfectum, nec ducem habeat, tamen æstate cibum
parat, & colligit in messe alimentum, Quamdiu pi-
ger dormies? Ecquando à somno surges? Paulum
modo, inquis, dormitabo, paulum modo somno ua-
cabo, paulum modo conseram manus, & componam
me ad recumbendum. At interea ceu uenator ueniet
inopia, & obruet te paupertas ceu latro.

DE CONTENTIONVM

autóribus.

Nihili homo, uir iniquus, ore peruerso incedit.
Fingit uultum ac incessum, digitis gesticulatur, per-
uerso corde malum semper molitur, & contentio-
num autor est. Proinde mox obruetur calamitate,
contereturq; neq; quisquam ei mederi poterit.

Hæc sex odit Deus, septimum etiam plane abo-
minatur, Superbos oculos, Mendacem linguam, Ma-
nus quæ innocentem sanguinem fundunt, Cor ini-
qua consilia machinans, pedes qui properant ad ma-
la, Testem mendacem, Autorem dissensionis inter
fratres.

DE ADULTERIO.

Fili præcepta patris obserua, & legem matris

B 4

non

PROVERBIA

non reijcias, alliga ea cordi tuo, & annecte gutturi. Cum ambulaueris, ducent te, cum dormies, excubabunt super te, & cum surges, eloquere ea. Est enim præceptum lucerna, & lex lumen, & uitam affert increpatio & castigatio. Memineris preceptorum, ut custodiant te à scelerata muliere, & à blanda lingua scorti. Ne pulcritudine eius inflammeris, neue capiant te oculi eius. Captat enim scortum usq; ad frustum panis, adultera uitæ etiam insidiatur.

Contagio mali.

Vt fieri nequit, quin adurat uestem, quisquis ignem in sinu fouerit, & pedes haud dubie læserit, quisquis supra carbones incesserit: Ita quisquis ad alterius uxorem accesserit, quisquis attigerit, feret infortunium.

Non est probro furari, cum esuriens furatur, ut uitam sustentet. Nam depræhensus, uel septuplum aut rem familiarem suam uniuersam rependerit. At stulti cum mœchantur, uitam amittunt, plagam & dedecus auferunt, nec ignominiam unquam abolere possunt.

A iudicio Dei. Grauius quam fures multantur mœchi.

Nam apud uirum cum zelotypia uritur, non est ueniæ locus, sicubi ulcisci datur, nec ignoscet, ut maxime placare coneris, nec muneribus, quamuis multa offeras, flecti se patitur.

CAPVT

SALOMONIS.
CAPVT VII.
DE ADVLTERIO.

FILI, sermonem meum serua, & præcepta mea manda memoriæ. Quot si seruaris præcepta mea, & legem meam, uelut oculorum pupillas, uita tibi continget, age, suspende ea digitis tuis, inscribe tabulis cordis tui. Complectere sapientiam tanquam sororem, & intelligentiam tanquam amicam, ut custodiant te ab aliena muliere, à scorto, quod blanditijs tibi insidiatur.

Ego cum per fenestram ædium mearum, per cancellos perspicerem, uidi inter imperitos adolescentem stultum, crepusculo transeuntem in platea ad angiportum, non procul à scorti ædibus. Ecce ibi occurrit ei mulier meretricio habitu fraudulenta, clamosa, male morata, cuius pedes nunquam domi quiescunt, & quæ insidias struere solet, domi, foris, in uicis omnibus. Hæc amplexa iuuenem dissuauatur impudenter, & inquit: Sacrum hodie feci, quare prodiij, ut quærerem te, ac occurrerem tibi, bene cessit, inueni te, lectum ornaui uarie, & constrauï Aegyptijs tapetis, frondibus, myrrha, aloë & cynamomo. Ades, amori indulgebimus, in crastinum usq; amore nos exhilarabimus. Neq; enim domi maritus est, sed procul abiit, accepto secum uiatico, nec certum est, quando sit rediturus. Iuuenis multis

B S

illecebris

PROVERBIA

illecebris & blanditijs expugnatus ac perpulſus, ſequitur, & ceu ad lanienam bos, ac uelut compedibus iniectis, quibus fatui uincti coercentur, pergit, donec telo iecur iactum findatur, & perinde atq; auis ad laqueum properat, ignorans ſe inſidijs excipi.

Proinde filij audite me, & animaduertite uerba mea. Ne expatietur ad uias eius cor tuum, neue ingrediare ſemitas eius. Multos enim ſauciauit ac ſtrauit, & omnes fortes iugulauit. Domus eius uia inferorum ſunt, iſthac ad mortem iter eſt.

CAPVT VIII.

Προτρεπτικὸς λόγος.

Rurſus inſtituit adhortationem, ſubinde eadem ingeminans. Verbum Dei conſpicuum & ob oculos eſſe debet omnibus, ut Deut. 6. mandatum eſt.

Nonne ſapientia clamat, & intelligentia edit uocem? in ſummis uerticibus, in uia inter ſemitas ſtans iuxta portas ciuitatis, in foribus clamat. Voco uos uiri, uox mea ad filios Adam, intelligite imperiti aſtutiam, & fatui reſpiscite. Audite, loquor enim conſpicua, & aperiam labia ut recta doceam. Quia ueritatem loquetur guttur meum & abominantur labia mea impium. Iuſti ſunt omnes ſermones oris mei. Non eſt in eis peruerſum, ac
ſubmerſa

SALOMONIS.

submersio. Plani sunt prudentibus, & recti sunt scientiam sectantibus. Accipe castigationem meam præ argento, & scientiam præ auro electo. Quia melior est sapientia margaritis, & omnia iucunda non possunt ei conferri.

Ego sapientia adiungo mihi astutiam, & scientiam consilij.

Timor Dei odium est mali, superbiam & arrogantiam, & uiam malam, & os peruersum odi.

Penes me consilium & successus est. Ego intelligentia sum, penes me est potentia. Per me Reges regnant, & Principes constituunt iusta: Per me domini dominantur, & regnant omnes iudices terræ.

Ego diligentes me diligo, & quærentes me. Diuitiæ & gloria penes me, opes duraturæ & iusticia. Melius est fructus meus auro, & obryzo, & prouentus meus argento electo. In uiam iustam duco, & in semitas iudicij, ut recte ditem diligentes me, & thesauros eorum cumulem.

Verbi potentiam creatione probat.

Dominus possedit me initio uitæ suæ, ante opera eius eram, ab æterno ordinata sum, ab initio ante terram. Nondum abyssi erant cum formarer, nondum fontes aquis, redundabant. Priusquam montes submersi sunt aquis, & ante colles formata sum. Nondum fecerat terram & finem eius, & uertices puluerum orbis. Cum cœlum erigeret, ibi ego eram. Cum circulum constitueret abysso, cum nubes
desuper

PROVERBIA

desuper formaret. Cum fontes abyssi conderet,
cum poneret mari terminum, & aquis, ne præter-
grediantur locum suum. Cum constitueret fundamen-
ta terræ, aderam, adiuuabamq;. Sum in delicijs eius
quotidie, ludo coram eo semper, ludo in orbe terræ
eius, & delecto filios hominis.

Nunc itaq; filij audite me: Beati qui uias meas
observant. Audite castigationem & sapite, & ne
negligite. Beatus qui audiet me, & aduigilat ad for-
res meas quotidie, ad obseruāda limina ianue meæ.
Vitam enim inuenit, quisquis me inuenerit, & hau-
riet uoluptatem à Domino. Qui peccauerit in me,
iniurius est animæ suæ. Quisquis odit me, mortem
diligit.

CAPVT IX.

Sapientia edificauit domum suam, dolauit innu-
meras columnas, mactauit uictimas, & fudit ui-
num, & instruxit mensam suam. Misit puellas suas
uocatum ad arcem excelsam ciuitatis. Imperiti huc
declinent. Et stultis dixit: Venite, comedite panem
meum, & bibite uinum, quod miscui uobis.

Si reliqueritis imperitiam, uita continget uobis,
& ingrediemini in uiam intelligentiæ.

Qui castigat subsannatorem, ignominia afficie-
tur. Et corripiens impium, contaminabitur.

Ne corripe subsannatorem, ne oderit te.

Si corripueris sapientem, diliget te.

Da sa

SALOMONIS.

Da sapienti, & sapientior erit.

Si docueris iustum, cordatior erit.

Conuenit cum sententia Christi: Ne detis quod sanctum est canibus,

INITIUM sapientiae timor Domini, & intelligentia est sancta cognoscere. Nam per me uita prorogatur, & augentur anni uitae. Si sapueris, tibi sapuisti, & si subsannaueris, tu feres.

Mulier fatua, clamosa, blanda & ignaua, sedet in foribus domus suae, in sella excelsa urbis. Vocat praetereuntes, & qui recta incedunt. Imperiti huc declinant, & stultis ait: Aquae furtivae dulces sunt, & panis clandestinus iucundus est. Nescit quod mortui sint, & in profundo inferno conuiuiae eius.

FINIS ADHORTATIONVM,

Quas Proemij uice operi praeposuit.

CAPVT X.

Hic primum incipit texere catalogum sententiarum.

PRIMUM.

Sapiens filius patrem gaudio afficit,
At stultus filius matrem affligit.

II.

Non prosunt thesauri impio,
Iusticia uero liberat a morte.

Promittit

PROVERBIA

III.

Promittit pijs bona.

Non perdet Dominus fame animam iusti,
Improba consilia impiorum perdet.

IIII.

Præcipit laborem.

Ægestatem affert manus ociosa,
Sed manus sedulorum ditat.

V.

Qui colligit in æstate prudens est,
Qui dormit in messe confunditur.

VI.

Benedicetur capiti iusti,
At impios iniuria ab ipsis concepta obruet.

VII.

Memoriæ iusti benedicetur,
Sed impiorum nomen sordebit.

VIII.

Sapiens corde accipiet præcepta,
Et stultum os uapulabit.

IX.

Securæ ambulat probus,
Et qui vias suas peruertit, depræhendetur.

Non est pax impijs.

X.

Fingens uultum damnum dabit,
Et stultum os uapulabit.

Ni cas



SALOMONIS.

Ni caueris hypocrita fallit te.

X I.

Vena uitæ os iusti,
Os impiorum iniuria obruet.

X II.

Odium excitat contentiones,
Et omnia delicta tegit charitas.

Noris non oderis.

X III.

In labijs sapientis inuenitur sapientia,
Et uirga in tergo stulti.

Narren sol man mit kolben lausen.

X I I I I.

Sapientes scientiam seruant,
Os stulti accersit sibi perniciem.

X V.

Opes diuitis sunt arcis uice,
Inopia uero pauperi animum minuit.

Gut macht muth. $\omega\lambda\delta\tau$ & υ' $\beta\epsilon\pi\iota\tau\eta\sigma\epsilon\iota\sigma$

X V I.

Opus iusti affert uitam,
Prouentus impij, peccatum.
Impiorum consilia non succedunt.

X V I I.

Crucem commendat.

Perferre castigationem, ad uitam conducit,
Et deserens increpationem, errabit.

Disimulatio

PROVERBIA

XVIII.

Disſimulant odium mendaces,
Stulti conuicium faciunt.

XIX.

Garrulus non uitat peccatum,
Prudens eſt, qui labia ſua frenat.

Αχαλι'νωρ σομα'τωρ τε'λθ' δυσυχία.

XX.

Lingua iuſti eſt præcipuum argentum,
Cor impium nihili eſt.

XXI.

Labia iuſti multos paſcunt,
At ſtultis exitio eſt ſtulticia.

XXII.

Promittit bona pijs.
Benedictio Domini diuites facit citra moleſtiam

XXIII.

Cum ſcelus perpetrat ſtultus, ridet,
Id uero animaduertere, ſapientia eſt.
Impij rident iudicium Dei.

XXIII.

Accident impijs quæ metuunt,
Iuſtis contingent quæ deſiderant.

XXV.

Impius ceu tempeſtas præterit,
At iuſti fundamentum perpetuum eſt.

XXVI.

Ceu acetum dentes, & fumus oculos lædit,

Sic

SALOMONIS.

*Sic piger eos, qui miserunt eum, cruciat.
Plautus. Fames & mora con-
ciunt bilem in naribus.*

XXVII.

*Timor Domini prorogat uitam,
Et anni impiorum breues sunt.*

XXVIII.

*Iustos leta manent,
Et spes impiorum perit.*

XXIX.

*Via Domini addit animum probis,
Frangit animos malis improbitas.*

XXX.

*Iustus perpetuo non euertetur,
Et impij non erunt superstites in terra.*

XXXI.

*Os iusti propugnabit scientiam,
At lingua peruersa perit.*

XXXII.

*Labia iusti meditantur bona,
Sed os impiorum peruersa meditatur.*

CAPVT XI.

I.

Libram iniustam abominatur Dominus,
At pondus iustum delectat eum.

II.

C

superbia

PROVERBIA

*Superbiæ comes est contumelia,
Sed apud modestos sapientia.*

Et contumeliosi sunt superbi, & vicissim contemnentur.

III.

*Integritas rectorum deducit eos,
Exitio est impijs deflectere à iure.*

ἢ δὲ κακὴ βουλὴ τῶ βυλεύσαντε κακίση

IIII.

*Non profunt diuitiæ in die iræ,
At iusticia liberat à morte.*

V.

*Iusticia integri dirigit uiam suam,
At impietate sua cadit impius*

VI.

*Iusticia rectos liberat,
At in improbitate sua capiuntur scelerati*

VII.

*In morte hominis impij, perit spes,
Et expectatio impiorum perditio est.*

VIII.

*Iustus eripitur ex aduersitate,
Et pro eo perit impius.*

IX.

*Alter manu lapidem, altera panem.
Ore simulator euertit proximum suum,
Sed iusti deprehendunt ac liberantur.*

X.

CUM

SALOMONIS.

Cum florent iusti, gaudet ciuitas,
Et in perditione impiorum letatur.

XI.

Benedictione rectorum fortunatur ciuitas,
At impiorum consilijs euertetur.

Nec viribus, nec consilijs nostris, sed be-
nedictione diuina seruanda Respublica.

XII.

Qui famam proximi laedit, stultus est,
At uir intelligens tegit probra.

XIII.

Susurro reuelat arcana,
At qui fideli animo est, rem tegit.

XIIII.

Sine gubernatione corruiit populus,
Salutem afferunt multi consultores.

Vis non seruat Respub. sed consilium &
multi consultores.

XV.

Male affligitur, qui sponderit pro alio,
Et qui uitat stipulationes, securus est.

XVI.

Propertius. Ampla satis forma pudicitia,
Mulier quæ honorem tuetur, gratiosa est,
Fortes sunt, qui diuitias augent.

XVII.

Beneficus suum ipsius genium defraudat,
Cruelis uero propinquo damnum etiam dat.

C 2

Impius

PROVERBIA

XVIII.

Impius opus facit irritum,
At qui serit iusta, mercedem perpetuam consequetur.

XIX.

Iusticia conducit ad uitam,
At qui sequitur maliciam, mortem accersit.

XX.

Abominatur dominus cor peruersum,
Et placent ei probi.

XXI.

Mali ut ut inter se conspirarint, non elabentur,
Semen iustum euadit.

XXII.

Mulier formosa quae immodesta est, non dissimilis est porco, naribus aureum torquem gerenti.

XXIII.

Desiderium iustorum placet Deo,
Sed expectationi impiorum succenset Deus.

XXIII.

Liberalibus benedicit Deus.
Quidam largiuntur & tamen ditescunt,
Quidam parci, quanquam magnas opes habuerint,
Subinde pauperiores fiunt.

XXV.

Qui liberaliter benedicit, impinguatur,
Qui inebriat, inebriatur.

XXVI.

Qui non communicat frumenta, ei maledicetur
in populo. At bene

SALOMONIS.

At benedicetur uendenti.

Facite vobis amicos ex Mammona.

XXVII.

Bona eneniunt, bona sectantibus,
Mala accidunt, mala querentibus.

XXVIII.

Qui confidunt in diuitijs suis, corruent,
Et iusti ceu folium uirebunt.

XXIX.

Qui perturbat domum suam, uentos accersit,
Et stultus sapienti seruiet.

Discordia summæ res dilabuntur.

XXX.

Fructus iusti est lignum uitæ,
Et capit animos sapiens.

Nihil melius clementia.

XXXI.

Cum iustus in terra persoluat,
Quanto magis impius & peccator?

Cum iusti affliguntur, haud dubie
non ignoscetur impijs.

CAPVT XII.

I.

Crucis commendatio.

QUI diligit castigationem prudentior erit,
At qui odit disciplinam, stultus est.

C 3

Tametsi

PROVERBIA

Tametsi coram mundo patiat, Deus ta-
men consolatur.

II.

Bonus haurit uoluptatem à Deo,
Sed uir scelestus damnabitur.

III.

Impietas nulli prodest,
At iustorum radix non commouebitur.

IIII.

Mulier sedula corona est uiri,
At illaudata mulier tabefacit ossa.
Mulierem decet esse oī uxōr, & custodem
rei familiaris.

V.

Cogitationes iustorum iudicia sunt,
Industria impiorum fraus est.

VI.

Verba impiorum insidiantur sanguini,
At os iustorum liberat.

VII.

Euertentur impij & non erunt,
At iustorum domus durabit.

VIII.

Propter prudentiam suam laudabitur uir,
At iniquus pudefiet.

IX.

Homo abiectus, qui suum officium facit,
Præstat glorioso qui pane indiget.

Ὁπαιγα

SALOMONIS.

ὁπῶς τὰρ ἑλάχες ταύταρ κόςμει.

X.

Agnoscit iustus iumentorum suorum animas,
At cor impiorum crudele est.

XI.

Nulla re abutitur iustus.
Qui agrum suum colit, satur erit panum,
At qui sectatur ocium, stultus est.

XII.

Exitium uenantur impij, quicquid desiderant,
At iustorum radix uerax est.

Malum consilium consultori pessimum.

XIII.

Prauis labijs capitur malus,
Sed euadit ex aduersitate iustus.

XIII.

Ex fructu oris quisq; saturabitur homo,
Et retribuetur homini iuxta opera sua.

XV.

Via stulti recta est in oculis suis,
At sapiens consilium audit.

XVI.

Stultus statim prodit iram suam,
At dissimulat iniuriam callidus.

XVII.

Veraces iusticiam palam faciunt,
Mendax testis fallit.

XIII.

C 4

Temere

PROVERBIA

Temere loqui, perinde est ac gladio fodere,
At sapientum lingua salubris est.

Plures necat lingua quam gladius.

XIX.

Verax labium firmum est semper,
Et mox uariat mendax lingua.

Mendacem oportet memorem esse.

XX.

Qui machinantur mala, frustrantur,
Et gaudium comitatur eos, qui pacifici sunt.

XXI.

Non accidet iusto dolor,
At impij obruentur malo.

XXII.

Abominatur Dominus mendacia labia,
At ueraces placent ei.

XXIII.

Non ostentat homo callidus scientiam.
At cor stultorum prædicat stulticiam.

Metiri se quenque suo modulo ac pe-
de uerum est.

XXIIII.

Prædicatur labor ac diligentia,
Sedula manus dominabitur,
Ociosa uero sub tributo erit.

XXV.

Sollicitudo animum cruciat,
Bonum uerbum exhilarat.

Euan-

SALOMONIS.

! Euangelio eriguntur conscientia.

XXVI.

Iustus felicior est proximo suo,
At uia impiorum ipsis exitio est.
Successus à Deo est.

XXVII.

Diligentiam præcipit.
Negociatio ociosa non est felix,
At seduli ditescunt.

XXVIII.

In semita iusticia uita est,
Et in uia plana non est mors.

CAPVT XIII.

I.

Filius sapiens eruditionem paternam sustinet,
At subsannator non audit increpationem.

II.

De fructu oris uir bonus afficietur,
Et anima contemptoris punietur.

III.

Qui custodit os suum, custodit uitam suam,
At qui temere aperit labia sua, terrebitur.

IIII.

Cupit piger et eget,
Anima sedula saginabitur,
Diligentiam præcepit.

C 5

Menda

PROVERBIA:

V.

Mendacium odit iustus,
At impius confundit & maledicit.
Impiis voluptas est, alienam famam lædere.

VI.

Iusticia seruat probos,
Et impietas deflectit ad peccandum.

VII.

Diuites quidam sunt, tametsi nihil habeant.
Pauperes alij sunt, tametsi magnas opes habeant.
Benedictio Domini, fortunat opes.

VIII.

Redimitur uita diuitijs,
Et egenus non perfert increpationem.

IX.

Lux iustorum gaudium afferet,
At lucerna impiorum extinguetur.
Gloria iustorum est felix.

X.

Prorsus inter superbos est contentio,
Et apud consultos sapientia est.
Consulti inter se cedunt, condonant, ut
pacem seruent.

XI.

Opes prodigalitate minuuntur,
Et parsimonia augentur.
Parsimonia magnum vectigal.

XII.

Expectatio

SALOMONIS.

Expectatio dilata cruciat,
Et lignum uitæ est, si præsto astit quod cupis.
Etiam celeritas in desiderio mora est.

XIII.

Qui contemnit uerbum male habebit,
Qui timet mandatum pace fruetur.

XIIII.

Institutio sapientiæ, fons uitæ est, ad uitandos la-
queos mortis.

XV.

Felix prudentia iucunda est,
At uia contemnentium aspera est.

Prudentia non est felix nisi fortunet
Deus, sicut est cernere in Ahitophel, De-
mosthene, Cicerone.

XVI.

Omnia facit callidus cum iudicio,
Fatuus stulticiam prodit.

Temere pergunt fatui iuxta parcemiam
Germanicam: Der haspel mus in sack.

XVII.

Nuncius impius conijciat in mala,
Legatus uerax, salubris est.

XVIII.

Oderunt crucem impij.
Egestas & ignominia penes eum sunt, qui casti-
gationem negligit,

At qui obseruat increpationes, honore afficietur.

Præsens

PROVERBIA

XIX.

Præfens uoluptas delectat animum,
Et abominantur fatui declinantem a malo.

XX.

Qui cum sapientibus uersatur, sapiens erit,
At stultorum socius male habebit.

Talis vnusquisque, qualium
utitur consuetudine.

XXI.

Peccatoribus mala impendent,
Et iustis reddetur bonum.

XXII.

Psal. 36.) Boni hæredes relinquent filios filiorum
Et reponuntur iustis opes peccatorum.

XXIII.

Multum escæ est in sulcis pauperum,
At alij iniurijs parant opes.

Benedictio Dei fortunat.

XXIII.

Pædagogiam præcipit.

Qui abstinet uirgam odit filium suum,
Qui uero amat eum querit ut erudiatur.

XXV.

ὁ φάγορ ἐν ἰδεοδαί.
Iustus comedit, & fit satur,
Venter impiorum eget.

CAPVT XIII.

I.

Sapiens

SALOMONIS.

Sapienter mulier ædificat domum suam,
Stulta uero euertit eam.

II.

Qui timet Deum recte ambulat,
Qui contemnit eum, è uia eius discedit.

III.

In ore stulti superba est uirga,
Et labia sapientum obseruat.
Autoritatem sibi arrogant stulti, ut
in Pontificijs Decretis apparet.

IIII.

Labor præcipitur.
Vbi non sunt boues præsepe uacuum est,
Sed multi prouentus ueniunt per robustum bouem.

V.

Testis uerax non mentitur,
Mendaces confidenter mentiuntur.
Contemnunt iudicium Dei.

VI.

Querit subsannator sapientiam & non inuenit.
Et scientia cordato facilis est.
Subsannatores contemnunt sapientiam
Dei, ideo dementantur. Esai. 28.

VII.

Si incideris in stultum, non deprehendes labia
scientiæ.
Id est, Imperito nunquã quicquã iniustius.

VIII.

Sapientia

PROVERBIA

Sapientia callidi est uiam suam obseruare,
At stultitia fatuos fallit.

Domi sapiendum, non foris.

IX.

Stultos subsannat delictum,
Et recti placent.

X.

Dum cor angitur, non capitur solatijs que ex-
hibentur.

Perturbato cordi, nihil est iucundum.

XI.

Domus impiorum euertetur,
Sed tabernacula rectorum florebut.

XII.

Plerisque uidetur uia recta, cuius exitus est uia
mortis.

Fallitur caro sua iusticia & sapientia.

XIII.

Etiam in risu dolet cor,
Et finis risus est calamitas.

Humana solatia percunt.

XIIII.

Dabunt pœnas reprobi,
Et conculcabunt eos probi.

XV.

Imperitus credit omnia,
At callidus animaduertit gressus suos.

Præcipit ut malos doctores vitemus

Sapiens

SALOMONIS.

XVI.

Sapiens timet & discedit à malo,
At stultus pergit confidenter.

XVII.

Impatiens iræ designat stulticiam,
At cautus odit stulticiam.

Qui non moderabitur iræ, infectum vult
let esse, dolor quod suaserit.

XVIII.

Penes imperitos stulticia est,
Sed callidi coronantur scientia.

Imperito nunquam quicquam iniustius.

XIX.

Curabuntur mali in conspectu bonorum,
Et impij ad portas iustorum erunt.

Iusti imperabunt impijs, iudicabunt im-
pios tametsi aliquantisper opprimantur.

XX.

Etiam proximo odio est pauper,
Et multi sunt diuitum amici.

Donec eris felix multos numerabis amicos.

XXI.

Contemnit proximum suum peccator,
Et beatus erit qui miseretur calamitosi.

XXII.

Nonne frustrantur qui machinantur malum?
At benigne & fideliter agetur cum bonis

Pollicetur bona pijs.

Labo-

PROVERBIA

XXIII.

Laborem præcipit.

Labor abundantiam affert,
Vbi uerbis res geritur inopia est.

Viel geschrey wenig wollen. Hypocritæ magna de se pollicentur.

XXIII.

Diuitiæ sunt ornamento sapientibus,
Stultis nihil nisi stulticia est.

Stulticiam patiuntur opes.

XXV.

Verax testis liberat animas,
Et mendax decipit.

XXVI.

Vere iudicare salutem Reipub.
Timor Dei tutum munimentum est,
Et timentes Deum bene habebunt.

XXVII.

Pijs bona promittit.
Timor Dei fons uitæ, ad uitandos laqueos mortis.

XXVIII.

Ornamento est Principi concordia populi.
Frequentia populi regem decorat,
Et formidat, qui paucis est stipatus.

XXIX.

Patiens multa intelligit,
Iracundus prodit stulticiam.

XXX.

Hilaris



SALOMONIS.

Hilaris animus uita est,
Et tabefacit ossa inuidia.
Inuidus alterius rebus marcescit opimis.
XXXI.

Qui pauperem calumniatur conuicium facit
eius factori.
Et honorat Deum quisquis miseretur pauperis.
Deus autor paupertatis.
XXXII.

Succumbit in calamitate impius,
Et sperat etiam in morte iustus.
XXXIII.

In animo cordati uersatur sapientia,
Et inter stultos innotescet.
Tandem fit ut stulti conuincantur, sicut
Iudæi resurrectione Christi.
XXXIIII.

Iusticia exaltat gentem,
Perdit populum peccatum.
ἡ δὲ κακὴ βυλὴ, &c.
XXXV.

Placet regi seruus prudens,
Et succenset turpi.

CAPVT XV.

I.

Mollis responsio mitigat iram,
Sermo asper prouocat iram.

D

Comi-

PROVERBIA

Comitate vincendi morosi.

II.

Lingua sapientis facit acceptam scientiam,
Os stulti effundit stulticiam.

III.

In omni loco oculi Dei contemplantur bonos &
malos.

Et in secundis & in aduersis rebus spe-
ctanda Dei voluntas.

IIII.

Salubris lingua signum uitæ est,
Et fallax lingua perturbat animum.
Plures necat lingua quam gladius.

V.

Stultus calumniatur paternam castigationem,
At obseruans increpationes, callidior fit.
Stulti sunt qui corripri nolunt.

VI.

In domo iusti multi thesauri sunt,
At proventus impij perditio est.

VII.

Labia sapientum ferunt scientiam,
Non autem cor stultorum.

VIII.

Sacrificia impiorum abominatur Dominus,
Et oratio rectorum placet ei.
Hypocritarum sacrificia damnat, vt Psa. 49

IX.

Abomia

SALOMONIS.

Abominatio est Domino uia impij,
Et sectantem iusticiam diligit.

X.

Eruditio mala est semitam deserere,
Et qui odit increpationes, moritur.

XI.

Cum infernus & perditio Deo pateant,
Quanto magis corda hominum ei patent.

XII.

Non diligit subsannator corripientem se,
Ad sapientes non accedit.

Non ferunt impij castigationem.

XIII.

Lætus animus exhilarat uultum,
Et in mœrore cordis, spiritus debilitatur.

XIIII.

Cor intelligens quærit scientiam,
Facies stultorum stulticiam pascit.

Personæ imponunt nobis, & autoritate
magnorum, sæpe impie mouemur.

XV.

Misera est uita afflictorum,
Et hilare cor conuiuium perpetuum est.

Si conscientia sit mala, nihil recte succe-
dit, ut Saul.

XVI.

Melius est modicum cum timore Dei,
Quam thesaurus ingens cum molestia.

D 2

Prestat

PROVERBIA

XVII.

*Præstat pauxillum olusculi citra molestiam,
Quam saginatus taurus cum molestia.*

Molestia,)mala conscientia, quæ facit vt
nihil recte succedat.

XVIII.

*Vir iracundus excitat contentionem,
At patiens sedat contentionem,
Vincuntur mansuetudine iracundi.*

XIX.

*Via prigris obsita sentibus est,
At semita bonorum plana est.
Damnatur hi, qui non faciunt officiũ suum.*

XX.

*Filius sapiens exhilarat patrem,
At stulti pudet matrem.*

XXI.

*Stulticia fatuo uoluptas est,
Cordatus homo dirigit uiam suam.
Cordatus probat sua consilia.*

XXII.

*Frustrantur cogitationes, in quibus non est con-
siliũ,
Et multitudine consiliorum firmæ erunt.
Infelix temeritas.*

XXIII.

*Apposite respondere, uoluptatem affert,
Et sermo opportunus optimus est.*

In tem-

SALOMONIS.

In tempore doceri, moneri, saluberrimū est.

XXIII.

Semita uitæ sursum fert,
Vt doceat uitare infernum deorsum situm.
Ad Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite.

XXV.

Domum superborum diruit Deus,
Et erigit limitem uiduæ.
Superbis resistit Deus.

XXVI.

Abominatur Deus consilia praua,
Mundorum consilia probat.

XXVII.

Perturbat domum suam auarus,
Et qui odit munera uiuet.

XXVIII.

Cor iusti meditatur quid respondeat,
Os impiorum temere effundit praua.

XXIX.

Procul est Dominus ab impijs,
Et preces iustorum exaudit.

XXX.

Serenus uultus exhilarat cor,
Fama bona saginat ossa.
Euangelium vitam affert.

XXXI.

Auris audiens increpationem uiuificam,
Inter sapientes morabitur.

D 3

Sapi-

PROVERBIA

Sapientes ferunt castigantem.

XXXII.

Qui negligit castigationem, aspernatur uitam
Audiens increpationem, sapiens erit. (suam,

XXXIII.

Timor Dei est castigatio, qua sapientiam conse-
quimur,

Et gloriam præcedit deiectio.

Docet, quid vocet sapientiam, non huma-
na consilia, sed timorem Dei.

CAPVT XVI.

I.

Homo instituit in animo,
Verum à Domino sermo lingue est,
Deus facit omnia iuxta consilia volunta-
tis suæ, ad Ephesios.

II.

Homimibus suæ uie munda uidentur,
At Deus dijudicat spiritus.

III.

Si commiseris Domino opera tua, Consilia tua
fortunabuntur. Psal. 36.

IIII.

Omnia facit Dominus propter se,
Etiam impium ad diem malum.

V.

Abominanda

SALOMONIS.

Abominatur Dominus omnes superbos,
Non elabentur utut inter se conspirent.

V I.

Hypocrisis humanæ satisfactiones non
placant Deum, sed verum cor.

Benignitate & fide expiatur iniquitas.
Et in timore Domini declinatur à malo.

V I I.

Cum placent Domino viæ hominis,
Etiam inimicus eius reconciliatur ei.

V I I I.

Melius est parum cum iusticia,
Quam magni reditus male parti.
Male partum male disperit.

I X.

Cor hominis deliberat de via sua,
Dominus uero promouet gressus suos.

X.

Diuinant labia regis,
Nec fallitur in iudicio os eius.

Reges oportuit diuinare. i. iudicare $\pi\rho\upsilon\upsilon\alpha$
 $\mu\alpha\lambda\iota\sigma\tau\alpha$.

X I.

Libra & statera iudicium Domini sunt,
Et ipse autor est ponderum.

Publicum ius Dei opus est.

X I I.

Abominantur reges impietatem.
Nam iusticia thronum fortunat.

D 4

Placens

PROVERBIA

XIII.

Placent regibus labia iusta,
Et ueraces diliguntur.

XIIII.

Indignatio regis nuncium est mortiferum,
At uir sapiens placabit.
Metui vult maiestatem publicorum ma-
gistratum.

XV.

Serenus uultus regis uita est,
Et beneuolentia eius uelut pluuia serotina.

XVI.

Satius est sapientiam comparare, quam aurum,
Satius intelligentiam comparare, quam argentum.

XVII.

Gressus rectorum discedunt a malo,
Custodit uitam suam, qui uiam suam custodit.

XVIII.

Præit deiectioni superbia,
Et anteit ruinam superbia animi.
Tolluntur in altû, ut lapsu grauiore ruant.

XIX.

Crucis præconium.

Melius est deijci animo cum calamitosis,
Quam regnare & locupletari cum superbis.

XX.

Prudenter tractans rem reperiet bona,
Qui confidit Deo beatus est.

Pruden-

SALOMONIS.

Prudentia est Deo fidere.

XXI.

Sapiens sapientem consulit, & suauitas sermonis
commendatiorem facit doctrinam.

Sapientes inter se consultunt. Φιλαύτοις
sua consilia placent.

XXII.

Prudentia uena uitæ est,
At castigatio stultorum stulticia est.

Stulti non mutant in melius, etiam si quid
mutarint, ut in Saul & Ahas apparet.

XXIII.

Cor sapiens, os docet, & doctrinam commendant
labia eius. Sapientes meditate loquuntur.

XXIII.

Fauus mellis est sermo iucundus,
Dulcedo animæ & medela ossium est.

XXV.

Est uia quæ recte uidetur oculis hominum,
Cuius exitus est uia mortis.

Fallimur nostra sapientia & iusticia.

XXVI.

Dat poenas stultiloquentiæ os futile.
ἀχαλίνωρ σωμαίων τῶν τέλων & δυσυχία.

XXVII.

Homo nihili malum sibi accersit,
In labijs eius est ignis comburens.

XXVIII.

D S

HOMO

PROVERBIA

Homo peruersus excitat contentionem,
Et delator sæpe inter principes dissidium concitat.
XXIX.

Homo uiolentus lætat amicum suum,
Et ducit per uiam malam. Fallunt fucati amici.
XXX.

Qui multum fingit, machinatur malum,
Qui labra componit, mala perpetrabit.
XXXI.

Honestæ corona, senectus,
Si in uia iusticiæ reperietur.

Senectus veneranda est. Leuit. 19.
XXXII.

Præstantior est patiens, quam uir fortis,
Præstantior item est, qui animo suo dominatur,
quam qui urbes capit.

Sæpe vincas patientia, quem non viceris
impetu.
XXXIII.

Deus regit omnia.

In sinum dei ciuntur sortes,
Et à Deo iudicium eorum proficiscitur.

CAPVT XVII.

I.

Melius est siccum frustum cum tranquillitate,
quam domus plena mactatis pecoribus cum
contentione.

II.

Seruus

SALOMONIS.

Seruus prudens dominabitur filio turpi,
Et inter fratres diuidet hereditatem.

III.

Vt argentum excoquitur, & in fornace probatur
aurum,
Ita Dominus corda probat.

IIII.

Malus auscultat improbo sermone,
Mendax obsequitur perniciose lingue.

V.

Qui ridet pauperem, conuictum facit factori eius,
Et cui calamitas alterius uoluptati est, non feret impune.
Deus paupertatis autor.

VI.

Corona senum filij filiorum sunt.
Et decus filiorum, patres eorum.

VII.

Non decet stultum superbus sermo,
Nec regem decet mendax labium.
Iactantia damnatur.

VIII.

Bella gemma est donum,
Quorsum se uertit Dominus eius.
Munera crede mihi placant hominesque
Deosque.

IX.

Qui celat alienum delictum, facit ut ametur,
At qui palam facit rem, inter principes dissidium
conciat.

Eximia

PROVERBIA

Eximia est virtus præstare silentia rebus.

X.

Obiurgatio magis terret cordatum, quam centum
plagæ fatuum.

Ne plagis quidem impij emendantur. Esa. 9.

XI.

Contentiosus machinatur malum, (hibet.
Et in crudelem nuncium incidet. Vindictam pro-

XII.

Satius est occurrere ursæ orbatae,
Quam stulto in stulticia sua.

Nihil intractabilius insipiente fortunato.

XIII.

Si rependas malum pro bono, Dānat ingratos
Non discedet malum a domo tua.

XIIII.

Litis initium perinde est, ac sicubi alueum rupe-
rit aqua. Lis litem ferit.

Et ex maledictis lis late spargetur.

XV.

Abominatur Deus cum eum qui iustificat impi-
um, tum eum qui damnat iustum.

XVI.

Quid prodest precium stulto,
Cum ad emendam sapientiam cor non habeat.

XVII.

Semper diligunt amici, & in aduersitate frater
agnoscitur.

Amicus

SALOMONIS.

Amicus certus in re incerta cernitur.

XVIII.

Qui stipulatur, ac spondet pro proximo stultus
est.

XIX.

Diligit peccatum, qui diligit contentiones,
Et ruent qui superba moliuntur.
Superbi, contentiosi & vindictæ cupidi sunt

XX.

Peruersus corde non inueniet bonum,
Et peruersus lingua incidet in mala.

XXI.

Accersit stultus afflictionem sibi,
Et non gaudebit stulti pater.

XXII.

Bonæ conscientie præconium
Cor letum exhilarat uitam,
At tristitia animi arefacit ossa.

XXIII.

Munus è sinu impius accipit, ut deprauet semi-
tas iudicij,

XXIII.

Coram cordato est sapientia,
At oculi stultorum passim uagantur.

Impij immoderata cupiunt.

XXV.

Patrem ac matrem dolore afficit filius stultus.

XXVI.

Malum est damnum iusto dare:
Aut principem iusta iudicantem, percutere.

Magistra-

PROVERBIA

Magistratum religiose coli præcipit.

XXVII.

fuit vortum Qui parce loquitur, sapit,
deus vult Nec est futilis spiritus homini cordato.
vult vult *vult vult* Damnatur garrulitas.

XXVIII.

fuit vortum Vel stultus si taceret sapiens reputaretur,
vult vult Et uideretur sapere, si clauderentur labia.

Sub vult **CAPVT XVIII.**

I.

CVI uoluptas est dissensionem concitare,
Is captat ubiq; rixandi occasionem.
Morosi nihil candide interpretantur,

II.

Non libet stulto intelligere.
Sed tractare ea quibus ipse capitur.
Suum cuique pulcrum.

III.

Cum uenit impietas, uenit etiam contentus, &
dedecus, & contumelia. *fuit vortum*

III.

In vult Verba uiri uelut profundæ aque sunt,
Et fons sapientiæ uelut uberrimum flumen.
Spiritualis iudicat omnia.

V.

Personam impij præferre non est bonum,
Ut iustum a iudicio abducas.

Stulti

SALOMONIS.

VI.

Stulti contentionum autores,
Labia stulti rixantur,
Et os eius pugnam prouocat.

VII.

Os stulti sibi exitio est,
Et labia eius laqueus animæ eius,
ἀχαιλίνων σομαίτων, &c.

VIII.

Verba delatoris uerba sunt,
Et penetrant uentrem.
Plures necat lingua quam gladius.

IX.

Cessare perinde est ac dissipare rem.
Non minor est virtus quam quærere par-
ta tueri.

X.

Arx munita nomen Domini,
Ad eam curret iustus, & defendetur,
Nomine Domini defendimur, non no-
stris viribus

XI.

Opes diuitis sunt ei urbis munitæ & muri loco.
Πλῆθος ὑβρίων πικτα.

XII.

Ante ruïnã eleuatur cor humanum,
Et anteit gloriam deiectio.
Tolluntur in altũ, ut lapsu grauiore ruant.

XIII.

Qui respondet priusquam audierit, stultus est
& confunditur.

Μήτε

PROVERBIA

Μη' τε δίκην διαίσεως πρὶν ἀμφῶν μῦθον ἀκροῦσθαι

XIIII.

*Hilaris animus finit ægritudinem,
Et spiritum tristem quis feret ?*

*Nulla res humana mederi potest malæ
conscientiæ.*

XV.

*Cordati probe iudicant,
Et auris sapientum quærit scientiam.*

Non pronunciant pij temere.

XVI.

*Munus hominis facit ei uiam,
Et in conspectu potentum perducit.*

XVII.

*Iustus primum accusat sese,
Et uenienti proximo patet.*

*Contra, Hypocritæ alios docent, se non
docent. Ro. 2.*

XVIII.

*Contententes fors componit, & inter fratres di-
iudicat.*

XIX.

*Præstat habere coniunctum fratrem, quam ur-
bem munitam,*

Et litigantes sicut repagulum palatij.

Concordia parvæ res crescunt.

XX.

*De fructu oris uir saturatur,
De prouentu labiorum uenter saturabitur.*

XXI.

Mors & uita in linguæ potestate sunt,

Et qui

SALOMONIS.

Et qui curant linguam, comedent fructus eius.

XXII.

Inueniens uxorem, inuenit bonum,
Et hauriet noluptatem à Domino.

Laus coniugij, A Domino inquit bonum
hauriet, quia id vitæ genus, multas afflictio-
nes affert.

XXIII.

Placide loquitur egenus,
Diues dure respondet.

XXIII.

Vir comis amicos sibi adiungit,
At amicus adhæret firmitus fratre.

Comitas amicos parit.

CAPVT XIX.

I.

Melius est egeno qui probe ambulat,
Quam stulto qui praua labia habet.

II.

Vbi non est scientia, male habet homo,
Et qui uelox est pedibus impinget.

Inconsulti facile ruunt.

III.

Stulticia hominis euertit eum,
Et cor eius Deo indignatur.

Tales sunt qui non perferunt crucem.

Num. 14.

IIII.

Diuitiæ augent amicos,
Et pauper ab amicis etiam deseritur.

E

Vulgus

PROVERBIA

Vulgus amicitias vtilitate probat.

V.

Mendax testis non erit impunitus.
Et quisquis mendacia dicit, non euadet.

VI.

Multi fidunt personæ principis,
Et nemo non est amicus eius, qui munera dat.
Vulgus amicitias vtilitate probat.

VII.

Omnes fratres pauperis oderunt eum, & pro-
pinqui eius procul discedunt ab eo.

VIII.

Qui uerba spectat fallitur,
Qui sapit, bene habebit, & prudentes inuenient bo-
num.

IX.

Testis mendax non erit impunitus,
Et loquens mendacia peribit.

X.

Non decent stultum deliciae,
Tantū abest ut deceat dominari Principibus seruū.
Secundæ res stultos, id est, incautos, de-
mentant, & perdunt.

XI.

Patientes sapiunt, & delictum dissimulare glo-
riosum est.

XII.

Ceu fremitus leonis, sic Regis est indignatio, &
beneuolentia eius est perinde ut ros super herbam.
Metui vult Magistratus.

XIII.

Calamitas

SALOMONIS.

Calamitas patris est stultus filius,
Et mulier morosa, est assiduum stillicidium.

XIIII.

Domus & diuitiæ hereditate obueniunt à pa-
rentibus,

A Domino autem prudens uxor.

Dei donum prudens vxor, non deligitur
nostro iudicio.

XV.

Pigricia soporem parit,
Et ociosus fame peribit.

XVI.

Seruans mandatum, seruat animam,
Qui uias suas negligit, morietur.

XVII.

Fœnerat Domino qui miseretur egeni, & retri-
buetur ei. Largire pauperibus.

XVIII.

Castiga filium tuum, dum spes est fore, ut corri-
gatur,

Ne commoueare, ut occidas eum.

Necesse est castigare, tametsi non statim
succedit res. XIX.

Magna enim ira detrimentum affert, nisi coer-
ceatur,

Dimitte eum, ut deinceps corripias.

XX.

Audi consilium, & admitte castigationem, ut
& deinceps sapias.

E 2

Multa

PROVERBIA

XXI.

*Multæ castigationes in corde hominis sunt,
Consilium autem Domini stabile est.*

*Eueniunt non quæ nos instituimus, sed
quæ Deus decreuit.*

XXII.

Largire pauperibus.

*Decori est homini beneficentia eius,
Et melior est pauper, quam uir mendax.*

XXIII.

*Timor Domini uitam affert, & exaturabit,
Et habitabit sine uisitatione mala.*

Timor Domini etiam in cruce uitam affert.

XXIII.

*Abscondit piger manus in sinum,
Ne ad os quidem admouet.*

XXV.

*Si subsannator mulctatus fuerit,
Imperitus erit callidior.*

XXVI.

*Si intelligentiam arguerit, cautior erit.
Deus punit impios, ut erudiat pios, ut ap-
paret in Aegyptijs & Israelitis.*

XXVII.

*Qui uexat patrem & fugit matrem, turpis est,
& probro dignus.*

XXVIII.

*Cessa audire fili castigationem, a uerbis scientiæ
seducentem.*

XXIX.

Nibili

SALOMONIS.

Nihili testis ridet iudicium, & os impiorum deuorat iniquitatem.

XXX.

Parata sunt derisoribus iudicia, & plage tergo stultorum.

CAPVT XX.

I.

Damnat ebrietatem.

Subsannatores facit uinum, & tumultus parit ebrietas,

Quisquis illa delectatur, non erit sapiens.

II.

Terror regis est perinde ut rugitus leonis,
Qui offendit peccata anima eius.

Docet metuendos esse Magistratus.

III.

Gloria hominis est desistere à lite,
Et omnes stulti conuiciabuntur.

Desistendum à lite.

IIII.

Propter frigus piger non arat, & medicabit in messe, & nihil impetrabit.

V.

Velut aqua profuunda est consilium in cord uiri,
At uir intelligens exhauriet.

Spiritualis omnia iudicat.

VI.

Pleriq; benefici uocantur,

E 3

Fidelem

PROVERBIA

Fidelem autem quis inueniet?

Nusquam tuta fides.

VII.

Beati filij sunt probe ambulantes.

VIII.

*Rex sedens in solio iudicij, dissipat omne malum
intuendo.*

*Oculus Domini multum prodest in re-
bus omnibus gerendis.*

IX.

*Quis dicet, purum est cor meum?
Mundus sum a peccato?*

X.

*Variare pondera, uariare mensuram,
Abominabile apud Deum est.*

Vetat violare ius publicum.

XI.

*Et studijs suis cognoscitur puer,
Munda ne & recta sint eius facta.
Studia mentem indicant.*

XII.

*Vt auris audiat, ut oculus uideat,
Dominus facit. Non sapimus, non praeuide-
mus, ne admoniti quidem, nisi Deus excitet
nos.*

XIII.

*Ne dilige somnum, ne opprimaris egestate,
Si aperueris oculos, saturaberis pane.*

XIIII.

Malum est, malum est, dicunt cum tenent,

At

SALOMONIS.

At cum amiserint, laudant.

Præsentia fastidiuntur. Optat ephippia
bos piger, optat arare caballus.

XV.

Magni fiunt aurum & gemmae,
Sed preciosius uas labia scientiæ sunt.

XVI.

Eripe uestimentum ei, qui pro altero spondet, &
pignus ab eo accipe,
Cum ille alienus sit, pro quo se obstrinxit
Sponde, noxa præsto est.

XVII.

Dulcis est homini panis fraude partus,
Postea uero os eius arena replebitur.
Impietas arridet, sed perdit.

XVIII.

Damnatur temeritas,
Consilium propositum fortunatur,
Et consilijs geretur bellum.

XIX.

Ne coniunge te cum susurrone, quia arcana re-
uelat, & blanditijs fallit.
Non audiendos esse delatores.

XX.

Qui maledicit patri aut matri,
Extinguetur lumen eius in medijs tenebris.

XXI.

Hæreditas præpropæra principio, postea non
benedicetur.

PROVERBIA

Periculosum est, si res sine cruce non succedit, ideo felicius est regnū Dauidis quam Saulis.

XXII.

Ne dic, reddam malum, sed expecta Dominum, is saluabit te.

Vindictam prohibet.

XXIII.

Abominabile est Domino uariare pondera, Et statera fallax non est bona.

XXIII.

Omnium gressus à Deo sunt, Et quis homo intelligit uiam suam.

Diuinitus omnia reguntur.

XXV.

Laqueus est sanctos contumelia afficere, & postea uota facere.

Impietas non expiatur hypocrisi.

XXVI.

Dissipat impios rex sapiens, Et uertit aduersus eos rotam.

Sapiens Magistratus, cauet impia consilia.

XXVII.

Exhilari à Deo uita est hominis, & penetrat totum corpus.

XXVIII.

Beneficentia & ueritas custodiunt regem, Et fulcitur thronus eius beneficentia.

Quem metuunt oderunt.

XXIX.

Corona

SALOMONIS.

Corona iuuenum est robur eorum, & decus senum est canities,

XXX.

Vulnera & plagæ medentur malis.
Deus emendat nos cruce.

CAPVT XXI.

I.

COR regis in manu Dei est, sicut flumina aquarum, quorsum uolet, inclinabit. Psal. 49.

II.

Sua cuiq; uia placet,
Dominus uero corda impellit.

III.

Facere iusticiam & iudicium,
Melius est apud Deum quam uictimæ.

IIII.

Sublimes oculi & superbum cor,
Impiorum felicitas peccatum est.
Tolluntur in altum, ut lapsu grauiore ruât

V.

Consilia seduli plane abundantiam pariunt,
Præcipites autem egebunt,

αὐτὸν δὲ ἔρα δ' ἔως.

VI.

Qui colligit thesauros lingua mendaci,
Frustrabitur & periclitabitur de uita.

VII.

Rapinæ impiorum erunt eis exitio,

E S

Quia

PROVERBIA

Quia uoluerunt iure obsequi.

VIII.

Improbi opera peruersa sunt,
At mundorum recta.

IX.

Satius est in angulo tecti habitare,
Quam cum muliere morosa in domo ampla.

X.

Anima impij desiderat malum, & fastidit pro-
ximum suum.

Impij vel curæ alienæ incommodo sibi
volunt consultum, sicut Tyranni.

XI.

Dum mulctatur subsannator, imperitus com-
monefit,

Et sapientes scientiam accipiunt.

Deus punit impios, ut pios commonefaciat.

XII.

Erudit iustus domum impij.

Sed deflectunt impij ad mala.

XIII.

Qui obstruit aurem pauperum clamori,
Clamabit ipse uicissim, nec exaudietur.

Misereri pauperum præcipit.

XIIII.

Donum clandestinum, placat iram,
Et munus in sinu uehementem iram.

XV.

Gaudium est iusto facere iudicium,

Exitium

SALOMONIS.

Exitium uero facere iniquitatem.

XVI.

Qui aberat à uia prudentiæ, inter mortuos erit.

XVII.

Regitur ad inopiam qui amat gaudia,
Et quisquis amat uinū & pinguedinē, non ditescet.
Parsimonia magnum vectigal.

XVIII.

Impij plectuntur pro iustis, & pro rectis con-
temptores.

Impij tametsi exitium machinentur iustis,
tamen sibiipsis sunt exitio.

XIX.

Satius est in terra deserta uersari, quam cum mu-
liere morosa & iracunda.

XX.

Preciosus thesaurus & oleum in domo sapientis.
At stultus homo dilapidat. (est,
Sapientia est conseruare rem familiarem.

XXI.

Qui sectatur iusticiam, & beneficentiam, repe-
rit uitam, iusticiam & gloriam.

Pietatis fructus sunt, vita, gloria, opes,
nec parantur humana industria.

XXII.

Fortium urbem expugnat sapiens,
Et fortibus ipsorum confidentia exitio est.

Confidentia obest, ut Pharaonis exitium
testatur.

XXIII.

Qui

PROVERBIA

XXIII.

Qui custodit os suum & linguam suam,
Custodit animam suam à tribulationibus.

XXIII.

Superbi temere audent, & subsannatores in ira
temeritatem designant.

Nimum confidunt superbi, vt Pharao.

XXV.

Cupiditates pigri occident eum, quia noluerunt
manus eius laborare.

XXVI.

Piger perpetuo cupit,
Iustus uero dat, & non comparcit.

XXVII.

Immolatio impiorum est abominatio,
Quia per scelus effertur. Psalm. 49.

XXVIII.

Testis mendax peribit, & qui solet auscultare, is
uicissim audietur.

XXIX.

Pertinaciter pergit uir impius
Recti uero uia fortunabitur.

XXX.

Non est sapientia, non est prudentia,
Non est consilium contra Dominum. Psalm. 32.

XXXI.

Equus paratur ad bellum,
A Deo uero uictoria proficiscitur.

CAPVT

SALOMONIS.
CAPVT XXII.

I.

Fama præferenda est magnis opibus,
Et gratia melior est argento & auro.

II.

Versatur apud opulentum pauper,
Facit utrunq; Deus. Deus autor paupertatis.

III.

Callidus mala præuidet & euitat,
Et imperiti dum perumpunt, damnum accipiunt.

IIII.

Penes abiectos, qui Deum timent, diuitiæ, gloria,
& uita sunt.

Humilibus dat gratiam.

V.

Cuspides & laquei in uia peruersi sunt,
Qui procul inde refugit, custodit uitam suam.

VI.

Si institueris adolescentem in uia sua, in eadem
& senex perseuerabit.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

VII.

Diues pauperibus imperat,
Et qui mutuo accipit, seruus est foeneratoris.

VIII.

Qui mala seminat, mala metet, & plaga perdet
eum.

IX.

Liberali

PROVERBIA

*Liberali oculo benedicetur, qui dat de pane suo
egenti, Deus benedicit largis.*

X.

*Si pepuleris subsannatorem, cessabit contentio,
sedabiturq; lis & conuicium.
Vitandi impij.*

XI.

*Rex amicus est eius, qui mundiciam cordis dili-
git, & laborum gratiam.*

XII.

*Oculi Domini obseruant scientiam,
Et contemtoris consilia frustrantur.*

XIII.

Piger ait, leo foris est, in platea interficiet.

XIIII.

*Fouea profunda os scorti est,
Cui irascitur Dominus, is in eam incidet.*

XV.

*Stulticia agnata est cordi adolescentis,
Virga uero castigatrix eximet eam.
Pueritia per pædagogiam coercenda.*

XVI.

*Qui iniuria afficit pauperem, ut ditescat ipse,
Is dabit ditioribus alijs, & egebit.*

XVII.

*Accommoda aurem, & audi uerba sapientum,
& animaduerte ad doctrinam meam:
Est enim pulcra, si eam serues in pectore tuo, &
labijs tuis feliciter tractabis eam.*

XVIII.

Quod

SALOMONIS.

Quod doceat in summa verbum Dei, Fidem, quam non docet ratio.

Commonefacio hoc assiduo, ut in Dominum colloques fiduciam tuam, tu amplectere.

Nonne tradidi tibi multipliciter consilia & scientiam, ut docerem te ueritatem quam certissimam, ut interrogantibus uera respondere possis.

XIX.

Ne reprahas pauperem, eo quod sit pauper, ne opprimas afflictum in porta, quia Dominus causam illorum iudicabit, & perdet eos, qui illis uim intulerunt.

Ad portas iudicari res solebant in publico loco.

XX.

Ne habeas commercium cum homine iracundo, & cum uiro furioso ne uersare, ne addiscas mores eius, & accipias scandalum anime tue.

Vitanda iracundia.

XXI.

Ne sis inter eos qui spondent, aut fidem obstringunt apud fœneratorem, Nam si non potueris persolvere, auferet à te lectos tuos.

XXII.

Ne transfer priscos limites, quos maiores tui constituerunt.

XXIII.

Qui mandatum mature exequitur, stabit coram regibus, nec inter obscuros relinquetur.

CAPVT

PROVERBIA
CAPVT XXIII.

I.

Cum accumbis ut comedas cum principe, ob-
serua quæ proponantur, & intenta cultrum
gutturi tuo, ut uiam tueare.

Ne cupias cibum eius, est enim fallax cibus.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici.

II.

Ne labora ut ditescas, à consilijs tuis cessa,
Ne affectes id, quod consequi non potes:

Faciet enim alas sibi, & uelut aquila ad cœlum
subuolabit.

III.

Inuidos vitandos esse.

Ne comede cibum inuidi, & ne cupias illum,
Nam ipse uelut præstigiator fallit, cum ait, comede
& bibe, & apud animum inuidet tibi.

Portionem quam comedisti, euomes, & perdes
sermones tuos suaues.

IIII.

Auribus stulti ne loquaris,
Contemnit enim prudentiam sermonis tui.

Margaritas vetat porcis obijcere.

V.

Ne loco moueas priscos limites,
Et in campum pupillorum ne irrumpas,

Nam uindex eorum fortis est, iudicabit eorum
causam aduersus te.

VI.

Accommoda cor tuum castiganti, & audi ser-
mones scientiæ

Pæda-

SALOMONIS.

VII.

Pædagogiam præcipit.

Ne cesses castigare adolescentem,
Si percusseris eum uirga, non morietur.

Si uirga uerberaueris, ex inferis animam eius
eripies.

VIII.

Fili, si sapiens fuerit cor meum, gaudebit cor meum,
Exultabunt renes mei, cum recte loquentur labia tua.

IX.

Tametsi impij floreant aliquantisper, ta-
men tandem peribunt.

Ne æmuletur cor tuum peccatores,
Sed timeas Dominum tuum semper.

Expecta postrema, nec frustraberis, si expecta-
ris.

X.

Audi fili mi, & eris sapiens, ut bene habeat in ui-
ta cor tuum.

XI.

Ne sis inter potatores & commessatores. Nam
potatores & commessatores redigentur ad inopi-
am, & laceratis uestibus utetur somnolentus.

XII.

Audi patrem tuum qui te genuit, & ne contem-
nas matrem tuam natu grandem.

Veritatem sapientiam, eruditionem, & intelli-
gentiam compara, nec uende.

Iusti pater letabitur, sapientis genitor gaudebit
de filio.

Gaudebit pater tuus & mater tua, & genitrix
tua, optempera, & oculis tuis uie meæ placeant.

F

Est

PROVERBIA

Est enim profunda fouea meretrix, & puteus angustus scortum.

Hæc perinde, ac prædones solent, insidias struit, & in curios ad se allicit.

XIII.

Vbi uæ? ubi eiulatus? ubi rixæ? ubi insidiæ struuntur? ubi fit ut nihil meriti saucientur? ubi rubent oculi?

Nimirum hæc accidunt inter pocularios, qui confluunt, ut exhauriant quicquid infusum est.

Quid non ebrietas delignat? operta recludit,

(mem.)

Spes iubet esse ratas, in prælia trudit iner-

Ne inspice unum cum rubescit, cum pellucet per uitrum color eius, & arridet, postremo uelut ser-

pens mordebit, & uelut aspis punget. Oculi tui spe-

ctabunt alienas mulieres, & cor tuum cogitabit

peruersa, & eris perinde ac iacens in medio mari.

Supra antennam percusserunt me, inquires non do-

lui. Vulnerauerunt me, & non sensi. Quando ue-

ro expergiscar, ut rursus incipiam perpotare.

CAPVT XXIIII.

I.

NE emuleris uiros malos, nec cupias apud eos esse. Nam damna meditatur cor eorum, & perniciofa loquuntur labia eorum.

II.

Sapientia edificatur domus & intelligentia, & cubicula implet scientia, omnibus opibus preciosi & pulcris.

Vir

SALOMONIS.

III.

Vir sapiens fortis est, & uir intelligens præstat robusto: Nam bella geruntur industria, & uictoriam pariunt multa consilia.

IIII.

Altior est sapientia, quam ut assequatur stultus, & in porta hic ne os quidem aperiet.

V.

Sibi machinatur malum, autor sceleris.

VI.

Consilia stulti, peccata sunt,
Et subsannator est abominatio apud homines.

VII.

Nihil fortitudo est, si in aduersis rebus parum firmus fueris,

Fortitudo est in aduersis rebus voluntati Dei non aduersari.

VIII.

Eripe eos qui ad mortem rapiuntur, & opem fer ijs, qui pertrahuntur ad cædem. Si dixeris: Non moramur, ecce cordium arbiter animaduertet, & obseruator animæ tuæ deprehendet, is reddet cuius iuxta opera sua.

IX.

Comede mi fili mel, est enim bonum, & fauum dulce palato tuo. Sic est animæ sapientia, ubi inuenieris, & restant postrema, nec frustrabitur expectatio tua.

X.

Ne insidieris impie habitaculo iusti, ne interturbes quietem eius: Septies enim cadet iustus, & impij impingent in mala.

F 2

Tam

PROVERBIA

Tametsi floreat aliquantisper impij, tandem tamen peribunt.

XI.

Si lapsus fuerit inimicus tuus, ne gaudeas, & si impegerit, ne exultet cor tuum, ne uideat Dominus, & afflictio Domino appareat ut auertat ab illo iram suam.

XII.

Ne amulare malos, nec inuideas impijs, nihil enim boni superest quot superet malus, Lucerna impiorum extinguetur.

Lucerna) Gloria, res secundæ.

XIII.

Seditiosos damnat.

Time Dominum fili, & regem, & cum seditiosis ne commisceare: Mox enim instabit interitus eorum, & ruinam eorum qui scit?

Etiam hæc sapientes præcipiunt.

XIIII.

Spektare personam in iudicio non est bonum.

XV.

Qui dicit impio, iustus es, maledicet ei, & succensebit populus.

XVI.

Qui arguunt, amabiles sunt, & large benedicentur eis,

Labia osculi quæ respondent apposite.

In tempore doceri, moneri iuuat.

XVII.

Primum perfice foris opus tuum, & exerce agrum tuum,

Postea

SALOMONIS.

Postea edificato domum tuam.
Necessaria prius curanda.

XVIII.

Non sis testis iniquus aduersus proximum tuum,
ne allicias labijs tuis.

XIX.

Vindictam prohibet.
Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, sic faciã ei,
Reddam unicuique secundum opera sua.

XX.

Agrum hominis pigri præterij, & uineam hominis stulti.

Et ecce totum obruerant urticæ, & tegebant spine, & murus collapsus erat. Et uidi & consideravi, uidi, & erudirer, Paululum dormies? paululum obdormisces? paulisper conseres manus ad dormitandum? ueniet tanquam uiator paupertas tua, & egestas non secus atque latro.

CAPVT XXV.

SVNT ET HAEC PARABOLAE
Salomonis, quas inseruere viri Ezechiae regis Iuda.

I.

GLoria Dei est uerbum celare,
At gloria regum est id inquirere.

Deus sic facit omnia, ut mundus tamen non intelligat; at reges inquirere oportet.

PROVERBIA

II.

Vt nec altitudo caeli, nec terrae profunditas comprehenditur.

Ita nec cor regis perscrutabile.

III.

Si rubiginem de argento abstuleris, vas purum fiet.
Si impietatem a rege abstuleris, fortunabitur iusticia thronus eius.

Non astutia sed pietas fortunabit regum consilia.

IIII.

Ne iactes te in conspectu regis, & in locum magnorum ne irruas. Est enim satius, ut dicatur tibi, ascende huc, quam detrudi a conspectu principis, quam aspexerant oculi tui.

Dum petit infirmis nimum sublima pennis,
Icarus Icareis nomina fecit aquis.

V.

Ne properes litigare, ne quid facias quod postea proximum tuum confundat.

VI.

Causam tuam iudicet proximus tuus, & arcenum alterius ne reuela, ne contumelia afficiat te audiens, & infamare pergat.

VII.

Aurea mala in argenteis tabulis, uerbum dictum opportune.

VIII.

Velut torques aureus, & aureum monile, est increpatio apud sapientem qui auscultat.

Sapiens

SALOMONIS.

Sapiens gaudet reprecendi.

IX.

Sicut in messe frigus hybernum recreat,
Ita nuncius fidelis recreat eum qui misit, & ani-
ma Domini eius acquiescit.

Magistratus laudatur, qui suum officium
facit. X.

Nubes & uentus sine pluuia, is est, qui gloriatur
pollicendo, & nihil praestat.

Viel geschrey wenig wollen.

XI.

Patientia placabitur princeps, & lingua mollis
frangit duros. XII.

Vbi mel reperies, comede quantum satis est, ne
saturatus, reuomas.

Ne uerbum Dei carnali cupiditate aut iu-
dicio hauriatur.

XIII.

Reuoca pedem tuum a domo proximi tui, ne sa-
tur tui, oderit te.

XIIII.

Hasta & gladius & sagita acuta est, uir qui ad-
uersus proximum suum falsa testificatur.

XV.

Dens malus, & pes uacillans, & fiducia con-
tentoris in die tribulationis.

XVI.

Paruo cordi carmen canere, perinde est, atq;
laceris uestiri in frigore, & acetum uino addere.

F 4

Vetab

PROVERBIA

Vetat sanctum dare canibus.

XVII.

Si esurierit is qui odit te, pasce eum pane, & si
sitierit, pota eum aqua.

Vetat vindictam.

Prunam enim cumulabis super caput eius,
Et Dominus reddet tibi. Rom. 12.

XVIII.

Aquilo pluuiam pellit,
At uultus serenus linguam delatricem,
Vetat audire delatores.

XIX.

Satius est sedere in angulo tecti, quam in domo
ampla cum muliere rixatrice.

XX.

Aqua frigida ei qui linquitur animo, nuncium
bonum est ex terra longinqua.

XXI.

Fons conturbatus, & scaturigo corrupta,
Iustus lapsus coram impio.
Impij offenduntur rebus aduersis piorum.

XXII.

Non est bonum immodice multum mel edere,
Sic & qui grauia scrutatur, obruetur.

Vetat verbum Dei hauriri carnali cupi-
ditate, aut iudicio. XXIII.

Vrbs patens sine moenibus,

Vir qui non cohibet spiritum suum,

Eximia est virtus praestare silentia rebus.

CAPVT

SALOMONIS.
CAPVT XXVI.

I.

VT nix in æstate intempestiua est, & imber in
messe,

Sic nec stultum decet gloria.

Rebus secundis incauti dementantur, vt
in Saul apparet. II.

Quemadmodum aufugit auis, & præteruolat
hirundo,

Sic ementitum conuicium non lædit.

Mendacia non lædunt.

III.

Flagellum equo, frenum asino,
Virgo tergo stultorum.

Præcipitur pædagogia.

IIII.

Ne respondeas stulta de stulticia eius, ne similis
ei uidearis.

Post vnã atque alteram monitionum
hæreticum hominem deuita.

V.

Responde stulto de stultitia eius, ne sapere sibi
uideatur. VI

Qui per nuncium stultum rem gerit,
Est uelut claudus pedibus, & damnum accipit.

Ignauus Magistratus.

VII.

Vt claudus pedes erigere nequit,

F 5

Sic

PROVERBIA

Sic sunt sententiæ in ore stultorum.

Impij non possunt recte uti verbo Dei.

VIII.

Stultum honore afficere, perinde est ac gemmam in polyandron conijcere.

Rebus secundis incauti dementantur, gemma coniecta in polyandron, h. e. locum foedum, in aceruum lapidum, ubi de fontibus supplicium sumitur, perit. Eadem sententia est in Laberianis Mimis, Loco ignominia est apud indignum dignitas.

IX.

Spina condita in manu ebrii, sententia est in ore stulti.

X.

Vir peritus omnia recte efficit,

Qui uero conducit stultos, negligentes conducit.

Gerenda res per peritos.

XI.

Sicut canis rediens ad uomitum,

Sic stultus est ingeminans stulticiam suam.

XII.

Si uideris uirum qui sibi sapere uidetur, de stulto melius speres quam de eo.

ΟΙΛΑΥΤΟΙ haud fere corriguntur. Ioh. 9.

Quia dicitis videmus, &c.

XIII.

Piger ait, Leopardus est in uia, Leo in plateis, Sicut fores in cardine suo uoluuntur, sic uoluitur piger in lecto.

Abscōn

SALOMONIS.

XIIII.

*Abscondit piger manum in sinum, piget & ad
os manum admouere.*

XV.

*Reprehendere cuiusuis est, corrigere non
Plus sibi sapere uidetur piger, (item.
Quam septem qui sententias docent.*

*Pigri, Hypocritas significant, qui viden-
tur laborare, & tamen officium suum non
faciunt.*

XVI.

*Qui transit ad litem, sua nihil referentem, per-
inde est atq; si canem uellicet auribus, ac laceffet.*

Was dich nicht brent lesch nicht.

XVII.

*Vt qui abscondit se, iaculatusq; sagittas flam-
meas & mortiferas, Sic is est qui frustratur ami-
cum suum, & dicit, ioco facio.*

XVIII.

*Ignis extinguitur, ubi ligna non alunt,
Sic sedatur contentio, ubi delator absuerit.*

XIX.

*Carbo prunas, ligna ignem accendunt,
Vir contentiosus rixam.*

XX.

*Verba delatoris perinde sunt ac uerbera, pene-
trantq; penetralia pectoris.*

*Non est remedium aduersus Sycophan-
tæ morsum.*

XXI.

*Vt conuenit, si argenti scoria uas fictile obdu-
catur, Ita*

PROVERBIA

Ita labia uenenata cum malo corde congruunt.
Dignum patella operculum, Spurcum os
improbo pectori.

XXII.

Labijs suis prodet se inimicus, & cum appropinquat, struit insidias.

Cum blanditur inimicus fallit.

XXIII.

Cum uoce sua blanditur, ne credas ei,
Sunt enim in corde eius multæ abominationes,

XXIIII.

Si quis texerit odium suum, ut damnum det, reuelabitur eius malicia in cœtu.

XXV.

Fodiens foueam in eam ruet,
Et aduolens saxum, in ipsum impinget.

ἢ δὲ κἀκὴ βῆλη.

XXVI.

Lingua mendax non fert improbantem,
Et os blandum perniciem affert.

Impij non ferunt castigantem.

CAPVT XXVII.

I.

NE glorieris de die crastino,
Nescis enim quid hodie accidere possit.
Ne ante victoriam encomion,

III.

Prædicet te alienus, non os tuum,
Peregrinus, non labia tua.

GRANIS

SALOMONIS.

III.

Gravis est lapis, & ponderosa arena,
Vtrog; est grauior ira stulti.
Imperito nihil iniustius.

IIII.

Crudelis est iracundia & ira,
Et quis coram inuidia consistet?

V.

Melior est manifesta correptio,
Quam clandestina dilectio.

VI.

Fidelia sunt uulnera inflicta a diligente,
Et oscula inimici contumeliosa sunt.
Caritas amat etiam cum saeuit.

VII.

Anima satura fauum etiam calcat,
Et animæ esurienti etiam amara dulcia sunt.
Esurientes impleuit bonis, iuxta canti-
cum Mariæ

VIII.

Sicut auis est quæ nidum deserit,
Sic uir est qui deserit locum suum.
πάρεταρ ἑλαχες ταύταρ νόσμη.

IX.

Vnguentum & aromata delectant cor,
Dulcior autem amicus est propter consiliū anime.
Consilium res sacra.

X.

Amicum tuum, & amicum patris tui, ne deseras.
Veteres amici colendi,

Et

PROVERBIA

Et domum fratris tui, ne ingrediare tempore calamitatis tue.

XI.

Melior est vicinus propinquus, quam frater longinquus.

Hesiodus: Πείλοves ἢ Ζῶσι ἐκιορ, Ζῶσι το δεπιοι.

XII.

Disce sapientiam mi fili, & gaudebit cor meum, ut responderi possit ijs, qui mihi conuicium faciunt.

XIII.

Callidus uidet malum & absconditur, Imperiti pergunt & damnum accipiunt.

Imperiti pergunt obstinati, vt Pharao. Der haspel muß in sack.

XIII.

Vestem ab eo auferas, qui pro alieno spondit, & cum ille alienus sit, pignus accipe.

XV.

Prædicans amicum suum magnis clamoribus, mane consurgens, maledicere ei iudicabitur.

Immodicæ laudes sunt suspectæ.

XVI.

Similis est stillicidio assiduo cum pluit, rixatrix mulier. Qui cohibet eam, uentos cohibet, & oleum mana retinere conatur.

XVII.

Ferrum ferro acuitur, Et uir acuitur amici congressu.

Σῶ πρὸ ἐρχομένων καὶ τὰ πρότα, ἐνόσε, &c.

Seruans

SALOMONIS.

XVIII.

seruus ficum uescitur fructibus eius,
Et obseruans dominum suum, honore afficietur.
Parsimonia magnum uectigal.

XIX.

Vt facies in aqua resplendens, fallit,
Ita inter se corda hominum solent.
Taxatur perfidia.

XX.

Infernus & perditio non saturantur,
Ita nec hominis oculi saturantur.

Cupiditas inexplebilis.

XXI.

Argentum in uase purgatur, aurum in fornace,
Homo uero laudantis ore probatur.

XXII.

Si stultum contriueris pistillo, ceu triticum in
mortario, non discedet ab eo stulticia.

Impij non emendantur afflictionibus.

XXIII.

Tuum pecus contemplare, & gregem diligen-
ter cura.

σπᾶς τὰρ ἔλαχες τὰ ὅλα κόσμοι.

Neg; enim perpetuo tenebis has opes & gloria
non durat a seculo ad seculum. Prodit fœnum &
uirescit, donec demetatur.

Oues habes quæ uestiant te, & hircos quibus
uenditis, sumtus pares in agricultura faciendos.

Lac caprarum suppedabit uictum tibi, & fa-
milie & ancillis tuis.

CAPVT

PROVERBIA
CAPVT XXVIII.

I.

Fugit impius, tametsi nemo persequatur,
Iusti uero perinde ac leo confidunt.

II.

Propter peccata populum fit, ut alij subinde imperent,

At propter cordatos homines prorogabitur imperium.

Imperia sæpe mutari calamitosum est,
mutantur autem propter peccata populi.

III.

Vir pauper, qui pauperes iniuria afficit,
Perinde facit, atq; imber putrefaciens & corrumpens segetem.

IIII.

Impios prædicant hi, qui legem deserunt,
Contra succensent eis qui legem seruant.

V.

Mali non intelligunt iudicium,
Verum qui Deum quæerunt, omnia intelligunt.

Facta Dei, pœnas, & beneficia, non considerant impij.

VI.

Melius habebit pauper probus, quam diues improbus.

VII.

Prudens est qui legem seruat,

Helluo

SALOMONIS.

Helluo uero patrem confundit.

VIII.

Qui opes suas fœnore auget, & immodico qua-
estu coaceruat in inopes effundentur.

Male partum, male dilabitur.

IX.

Qui recusat legem audire, illius præcatio etiam
est abominabilis.

X.

Qui rectos seducit, in foveam incidet,
Et probis bona euenient.

XI.

Diues sapere sibi uidetur,
Et pauper prudens explorat eum.

XII.

Res secundæ iustorum magnam gloriam pa-
riunt,

Cum uero euehuntur impij, commutantur res
hominum.

Cum iusti florent bene habent Respub.
contra pessum eunt, cum impij imperant.

XIII.

Qui celat sua flagitia, male habebit,
Qui uero confitetur, & deserit, is misericordiam
consequetur.

XIIII.

Præconium timoris Dei.

Beatus qui semper pavidus est,
Duri ruent in mala.

G

Cess

PROVERBIA

XV.

Ceu leo rugiens, ac esuriens ursus,
Est princeps impius pauperi populo.

XVI.

Tyranni icon.

Si princeps imprudens fuerit, multæ fient iniuriæ.

At si oderit iniuriam, diu imperabit.

XVII.

Qui iniuriam facit, ad sepulcrum usq; profugus erit,

Nec quisquam sustentabit eum.

XVIII.

Probi salui erunt,

Qui uero uias suas peruerbit, semel corruet.

XIX.

Præcipitur labor.

Qui excercet agrum suum, saturabitur pane,
At qui otio indulget, egebit.

XX.

Viro fideli ualde benedicetur,
Et ueloces ad diuitias parandas non erunt innocentes.
Benedictione diuina ditescimus.

XXI.

Spektare personam non est bonum,
Nam & propter frustum panis illi peccant.

XXII.

Qui properat ut ditescat, & inuidet alijs, nescit egestatem sibi impendere.

Qui

SALOMONIS.

XXIII.

Qui arguit hominem, postremo gratior erit as-
sentatore.

Veritas tandem vincit & probatur.

XXIII.

Qui depraedatur parentes, & negat id esse pec-
catum is socius est homicida.

XXV.

Superbus excitat lites,
At qui fedit Deo pinguescet.

Qui non cedunt fere auctores sunt mag-
norum motuum & tumultuum.

XXVI.

Qui confidit suo cordi, desipit,
At qui sapienter ambulat, bene habebit.
Desipere, est nostris consilijs fidere.

XXVII.

Qui pauperi dat, is non egebit,
Maledicetur autem auertenti oculos suos.

Præcipit largiri egentibus.

XXVIII.

Cum euehantur impij, absconduntur homines,
Et cum perierint impij, iusti bene habebunt.

CAP. V. T. XXIX.

I.

QVI aduersus increpationes dura ceruice
est, subito peribit,

G 2

Nes

PROVERBIA

Nec mederi ei quisquam poterit.

Sicut Pharaon cum corrigi nollet periit.

II.

Cum florent iusti populus bene habet,
Cum dominantur impij, luget populus.

Iuste iudicando imperia stabiliuntur.

III.

Qui diligit sapientiam, gaudio afficit patrem
suum,

Scortator autem perdet opes.

IIII.

Iudicio rex ditionem firmam facit,
Qui donis capitur euertit eam.

Impij principes contemnunt ius.

V.

Qui assentatur proximo, insidiatur ei,
Irretitur peccato suo malus,

Iustus autem gloriabitur & gaudebit.

VI.

Cognoscit iustus pauperum causas,
Impius non aduertit animum ad iudicandum.

VII.

Subannatores ciuitati exitio sunt,
At sapientes inde poenam auertunt,

Iusti placant Deum Respub. sicut appa-
ret in Nahaman.

VIII.

Si Sapiens litigarit cum stulto, siue irascatur, si-
ue rideat, placari stultus non potest.

Impe

SALOMONIS.

Imperito homine nihil iniustius.

IX.

Viri sanguinarij oderunt probum,
Rectis autem uita eius curæ est.

X.

Totum spiritum suum effundit stultus,
At sapiens tandem cohibet se.

XI.

Si Princeps delectatur mendacio,
Impios tandem ministros habet.
Qualis Princeps, tales conuictores.

XII.

Pauperem fœerator obuiam habet,
Deus utriusq; animum moderatur.
Non potest fœerator fœuire, nisi per-
mittat Deus.

XIII.

Sedes regis uere iudicans pauperes,
Perpetuo fortunata erit.

XIII.

Præcipitur pædagogia.

Virga & obiurgatio affert sapientiam,
At puer qui non coërcetur, pudefacit matrem suam

XV.

Cum florent impij, scelerata multa fiunt,
Sed spectantibus iustis, ruent.

XVI.

Si castigaueris filium, iucundus erit tibi, & af-
feret animæ tuæ delicias.

XVII.

G 3

Cum

PROVERBIA

Cum decet Prophetia perit populus, & qui legem custodiunt, bene habebunt.

Si verbum Dei non doceatur, necesse est male habere res humanas.

XVIII.

Serui non emendantur uerbis: Nam tametsi intelligant, contemnunt tamen.

Impij contemnunt verbum Dei.

XIX.

Melius de stulto speres, quam de homine precipite.

XX.

Si a puero seruus delicate tractatus fuerit, dominari postea uolet.

Res secundæ dementant incautos.

XXI.

Iracundus homo lites excitat, & sæpe peccat.

XXII.

Superbia deijcit hominem,
At humilis homo potietur gloria.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

XXIII.

Vitam suam odit, quisquis furum socius est,
Periurum audiet, nec indicabit. Ex Leuit. cap. 5.

XXIII.

Qui timet homines, ruet,
Qui fidit Deo, subleuabitur.

XXV.

Multi principis faciem ambiunt,

Ac

SALOMONIS.

At à Domino iudicium cuiusuis proficiscitur.

Principem tibi Deus placat, tu officijs
tuis frustra niteris.

XXVI.

Abominantur iusti iniquos, & abominatur im-
pius rectam uiam.

CAPVT XXX.

SERMO AGVR FILII
IACKE.

HAEC SVNT PRAECEPTA
quæ tradiderunt Lithiel, Lithiel
& Vchal.

Apparet has sententias ab alijs quibus-
dam Salomonis libello additas esse.

Sultissimus sum hominum, nec est penes me in-
telligentia, nec didici sapientiam, nec sanctorum
scientiam cognoui. Quis ascendit in coelum ac de-
scendit? Quis comprehendit uentos manu sua?
Quis conclusit aquas in uestem suam? Quis fun-
dauit fines terræ? Quod nomen est illi? Quod
nomen est filio illius? nostin?

I.

Præconium verbi Dei.

Omnis sermo Dei purgatus est, & clypeus ijs
qui fidunt eo. Ne addas sermonibus eius ne te ob-
iurget, tuq; mendax deprehendaris.

II.

G 4

Duo

PROVERBIA

Duo abs te rogavi, quæ antequam moriar, quæ
suo largire, procul à me amoue uanitatem & men=
dacium. Inopiam & diuitias ne dederis mihi. De=
mensum meum suppedita mihi, ne ubi satur fuero,
mentiar ac dicam: Quis est Deus? Neue per ino=
piam furtum committam, & polluam nomen Dei
mei.

III.

Ne accuses seruum apud herum suum, ne tibi con=
uicium faciat, ac pœnas des.

Hypocrisin generis humani taxat.

IIII.

Hoc genus patri conuicium facit, nec bene dicit
matri.

V.

Hoc genus uidetur sibi mundum esse, & tamen
sordes suas non cluit.

VI.

Hoc genus attollit oculos suos, & palpebras su=
as eleuat.

VII.

Huius generis gentes, tanquam gladij sunt, &
tanquam enses molares sunt, ut deuorent humiles,
& inopes è medio auferant. Huic sanguisuga
multæ sunt filiæ, quæ clamant, Age, age.

VIII.

Tria hæc uon saturantur. Item, quartum inex=
plebile est.

Infernus uulua, terra arefacta, Ignis postremo
inexplebilis est.

IX.

Præcipit coli parentes,

Oculum

SALOMONIS.

Oculum qui patrem fastidit, & matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & uorabunt aquila. X.

Tria hæc ignoro, minime uero quartum teneo.
Viam aquilæ in aëre.
Viam serpentis super petram.
Nauis iter in flumine.
Et uiam hominis erga adolescentulam.
Talis est & adulteræ uia, quæ ubi perdiderit uirum, os tergit, & negat se malum fecisse.

XI.

Tria perturbant terram, quartum prorsus ferri non potest.

Si seruus imperet.
Si stultus satur fuerit.
Si morosa nupserit.
Si ancilla fuerit hæres domina facta,

XII.

Quatuor minuta sunt in terra, quæ prudentia etiam uincunt sapientes.

Formicæ imbecille genus, & tamen in messe cibum sibi parant.

Cuniculi infirmum genus, qui in rupibus habitant.

Locustæ, quæ quanquam non habeant regem, tamen agminatim prodeunt.

At homines magistratibus etiam parere detrectant.

Araneus telam texit, & habitat in regum aulis.

PROVERBIA

XIII.

Tria hæc probe ingrediuntur, quartum item
belle incedit.

Leo ualida bestia, nec refugit ullam belluam.

Canis uenaticus, firmis lumbis præditus.

Aries & Rex, cui resisti non potest.

XIIII.

Cum per stulticiam effers te, & moliris malum,
comprime manu os.

Nam si lac crebrius tundas, butyrum fiet,

Si emunxeris nares uehementius, sanguinem elicies.

Μηδὲν ἄγαν.

Ita & acerbius irasci, lites excitat.

CAPVT XXXI.

SERMO LAMVELIS REGIS.

Hæc sunt præcepta quæ docuit
cum mater eius.

I.

Queso te fili uteri mei, fili exoptatissime, ne
da mulieribus opes tuas, & uias tuas, per-
dunt enim reges,

Ne regibus & principibus uinum des aut sice-
ram, ne poti obliuiscantur iuris, & de humilibus
præue iudicent.

Date siceram afflictis, & uinum mæstis, ut potis
obliuiscantur inopiæ suæ & erumnarum.

II.

Patro

SALOMONIS.

Patrocinare mutis in iudicio, & omnibus or-
phanis patrocinare, iudicia, & abiectum & ino-
pem uindica. III.

Probam mulierem quis inueniet? Ea praestat
gemmis. IIII.

Confidit ea cor mariti, & res familiaris non
deficiet. V.

Reddat ei bonum & non malum perpetuo.

VI.

Tractat lanam & linum, & uoluptati ei est
officium suum facere.

VII.

Perinde est atq; nauis mercatoris, ex longinquo
afferens panem suum.

VIII.

Noctu surgit, & parat familiae cibum, & ancil-
lis demensum.

IX.

Considerat agrum ac emit, & uineam suo ab ore
plantat. X.

Accingit lumbos accurate, & corroborat bra-
chia sua. XI.

Sentit quam bona sit negociatio sua, nec noctu
extinguetur lucerna eius.

XII.

Manum suam admouet ad colum, & tractat fu-
sum. XIII.

Manus pauperibus offert, & porrigit inopi.

XIIII.

Non

PROVERBIA

Non metuit domui suæ à frigore,
Nam uniuersam familiam uestit duplicibus.

XV.

Ornamenta fecit sibi,
Byssò & purpura uestit.

XVI.

Conspicius est in porta maritus eius,
Vbi sedet cum senioribus regionis.

XVII.

Tunica parat & uendit, & cingulum dat mer-
catori.

XVIII.

Fortitudo & decus uestit eam, & gaudebit eti-
am in posterum.

XIX.

Os aperit sapienter, suauitas in lingua eius est.

XX.

Speculatur statum domus suæ, nec edit cum ig-
nauia panem.

XXI.

Surgunt eius liberi & prædicabunt eam,
Maritus item laudabit eam.

XXII.

Multæ filiae pararunt opes, tu superas omnes.

XXIII.

Fallax uenustas est, & uana est forma,
Mulier timens Deum, laudabitur.

XXIII.

Date ei de laboribus suis, & prædicent eam in
portis facta eius.

FINIS.

DICTA.

DICTA SA PIENTVM.

OMnibus placeto.
Bona res quies.

Periculosa temeritas.

Quicquid promiseris facito.

Amicis aduersa fortuna utentibus idem esto.

Infortunium tuum calato, ne uoluptate afficias in-
micos.

Veritati adhaereto.

Violentiam oderis.

Age quæ iusta sunt.

Domus curam age.

Liberos tibi carissimos erudi.

A maledicentia temperato.

Beneficij accepto memento.

Inferiorem ne reijcias.

Ne teipsum præcipites in discrimen.

Temperantiam exerce.

Moribus probatus esto.

Oderis calumnias.

Turpia fuge.

Voluptati tempera.

A iureiurando abstinence.

Pietatem sectare.

Laudato honesta.

A uicijs abstinence.

Beneficium repende.

Suppli-

DICTA SAPIENTVM.

Supplicibus misericors esto.
Liberos institue. Litem oderis.
Sapientum utere consuetudine.
Bonos in precio habeto.
Audi quæ ad te pertinent.
Probum fugito. Responde in tempore.
Et facito quorum non possit poenitere.
Ne cui inuidias.
Quod iustum est imitare.
Bene meritos honora.
Spem foue. Calumniam oderis.
Affabilis esto.
Cum erraris muta consilium.
Diutinam amicitiam custodi.
Omnibus teipsum præbe.
Concordiam sectare.
Magistratum metue.
Ne loquaris ad gratiam.
Ne tempore credideris.
Teipsum ne negligas.
Seniorem reuerere.
Mortem oppete pro patria.
Ne quavis de re doleas.
Ex ingenuis liberos crea.
Sperato tanquam mortalis.
Parcito tanquam immortalis.
Ne efferas gloria.
Arcanum cela. Cede magnis.
Opportunitatem expecta.

Mora

DICTA SAPIENTVM.

Mortalia cogita.
Largire cum utilitate.
Ne prior iniuriam facias.
Dolorem fuge.
Mortuum ne rideto.
Amicis utere. Delecta amicos.
Consule inculpate. (sculta.
De numine ne male loquare, quid sit autem, au^m.
Audito multa, loquere pauca.
Prius intellige, & deinde ad opus accede.
Ne ob diuitias laudatis uirum indignum.
Principem honora.
Amicos probato.
Nemini promittito.
Similis sis tui.
Quod adest boni consulito.
Susurronem ex aedibus cijce.
A familiaribus in minutis rebus laesus, ferds.
Inimicum ne putes amicum.
Quæ feceris parentibus, eadem a liberis expecta.
Ante omnia uenerare numen.
Inter amicos ne fueris iudex.
Ne contende cum parentibus, etiamsi iusta dixeris.
Infortunatum ne irriferis.
Ne lingua præcurrat mentem.
Quæ fieri non possunt, ne concupiscas.
Vxorem ducito ex æqualibus, ne si ex ditioribus
duxeris, dominos tibi pares, non affines.

FINIS.

ALVA 20111111

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1111




FAB ³
6,6

AB: FAB ³
6,6

X 20022 74

||||





SENTENTIAE SALOMONIS,
IVXTA HEBRAICAM
VERITATEM SVMMA
cura redditæ.

AVTORE PHILIPPO MELANCHTHONE.



IMPRESSVM MVLHVSII DV-
ringorum in officina Typographica
Georgij Hantzsch, Anno
M. D. LXIX.